

Tragicocomoedia cui nomen *Jonas*
(ANTT, *Ms. da Livraria 2220*, fls. 5-49v)

Interlocutores

Misericordia
 Ionas propheta
 Cacurgus, Melampus: *Samaritani*
 Oraculum
 Dulus, *puer Ionae*
 Callistus, Aretus, Macarus, Iolas, Maeris: *pastores*
 Nauarchus, Tiphis, Dromus: *nautae*
 Emporus, Battus: *nectores*
 Daemonarches, Leuiathan, Behemoth, Asmodaeus: *spiritus*
 Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Iustitia, Paenitentia: *Virtutes*
 Deus
 Angelus custos Niniues. Cassiel, Zaciel: *Angeli*
 Aeolus, *rex Ventorum*. Auster, Africus, Boreas: *uenti*
 Naufragus. Limenarches Ioppaeus
 Praefectus atrii
 Epaeus, Agathus, Gelasinus, Dorylus: *pueri aulici*
 Thereutes, *princeps uenationis regiae*
 Myrtilus *regis filius*
 Polymbus, Chares: *sycophantae*
 Menedemus, Rhaebus, Blaesus: *rustici*
 Ophratanes, *Rex Niniues*. Colax, Autophilus: *purpurati*
 Nineas, *regis famulus*
 Laosthenes. Praefectus urbis. Zames, *Tribunus*. Cerix *praeco*.
 Polites, Miaenus, *ciues*
 Limottus, Dipsius: *pueri famelici*

/5v/

IONAS

Parabatur haec tragicocomoedia a Collegio Olyssiponensi Societatis Iesu Henrico I Lusitaniae Regi S. R. E. Cardinali etc. Propter illius mortem, et procerum luctum, aliasque temporum difficultates, data non fuit.

Tragicocomoedia cui nomen *Jonas*

/6r/

[Prologus]**Misericordia**

Stellata ab arce uenio radiantis poli
 Summo tonanti grata Misericordia
 Sum grata superis, grata sum terrae incolis.
 Ego miserorum protego afflictum caput
 Clypeo salutis. Ego coruscantes rogos 5
 Contineo scelera punientis dexteræ.
 Et si ille summus arbiter cunctis Deus
 Virtutibus laudandus eminent: tamen
 Potissimum praeconiis gaudet meis.
 Ego liberalem moderor illius manum. 10
 Ego minitantem flecto. Quid pectus meum
 Hominum ad leuandam marcidam famem et sitim
 More pelicani sanguine exhaustum offeram?
 Abramidarum cum grauis fauces sitis
 Premeret proteruas gentis excusso e iugo 15
 Modo liberatae, silicis e uena aridae
 Fluxit liquoris optimi ingens copia
 Nec lympha amara militem Hebraeum salis
 Pupugit sapore. Torsit Abrami genus
 Inculta per Arabiae aestuantis culmina 20
 Penitus medullas intimas carpens fames:
 Ego miserata gentis innumerae mala /6v/
 Caeleste pabulum sinu e largo dedi.
 Nihil his peractum est. Contumax proteruitas
 Occaecat animos. Vindices iam iam rogos 25
 Populo imminentes uideo, uideo fulmina.
 Germana quid Iustitia Samariae paras,
 Vbi nunc tyrannus sceptræ Ieroboam gerit
 Ionæ proterua respuens monitus manu?
 Tene, tene ignes, fragilis est testæ domus 30
 Similis tyranni: Euanidae bullæ maris
 Est instar hominum uita: misereri magis,
 Quam uindicare conuenit. Quodsi scelus
 Urbis nefandum postulat poenas, peto
 Vt differantur. Proderit forsân mora. 35
 Sed ecce moenibus, foro, luxu, uiris
 Opibusque clara prouocat Niniue, polum
 Ad ultionem. Scelera non seruant modum
 Populi iniquitati. Ferre Misericordia
 Cogo ipsa metmet sordidi uulgi mala. 40
 Barathri ministros uideo, pro dolore! Domos,
 Viços, fores, arcem occupantes et forum;
 Video exulantes urbe uirtutes procul:
 Sed parcere meum est, uitia succrescant licet.
 Meum est leuare incommodis hominum genus. 45
 Ergo irrogantem contine Niniuæ soror

Supplicia dextram, contine ultorem rogam:	
Mittatur illuc territans Ionas minis	
Vrbem nefandam: proderunt aliquid minae,	
Ad quas Idumes populus aures obstruit.	50
Eheu recusant Israelis posterum	
Domini prophetam: quanta plebs demens tibi	/7r/
Instat ruina! Paenitet Niniven Dei	
Violasse numen territam Ionae minis:	
Te nec prophetae, nec Dei uoces mouent.	55
Adhuc periculis leuarem te, mihi	
Nisi restitisses. Sed mederi uulneri	
Tua culpa quando Misericordiam haud sinit:	
Alio recedat ore ueridico potens	
Jonas. Sed, o Iona, uideo pelagi feram	60
Te glutientem. Iussa quod sancta exequi	
Nolueris. In te saeuunt caelum, mare,	
Boreaeque flatus. Fluctibus quis obrutum	
Te sospitem constituet? Ego, ego una anchora	
Portusque naufrago, ut soleo, praesens erro.	65
Pecasse semel hominis est: iterum mali,	
Et peruicacis; saepius tumidae ferae.	
Numquam tamen mortalium extremum nefas	
Me uicit. Imo quo scelera crescunt magis	
Eo dolendi crescit uberior seges	70
Atque miserendi. Afflicet internus dolor	
Animum nocentem: flebilis planctus suum	
Scelus excretur. Misericordia hos sinus	
Pandet. Superbam flagra iam expertus Dei	
Venies in urbem. Voce iam uates tona,	75
Tonitru imitante. Cerno iam Niniues caput	
Regis corona destitutum gemmea,	
Saccoque tectum corpus, et gemitu senes	
Magno inuocantes Numinis diuini opem:	
Delicta lacrymis eluunt matres, uiri	80
Puerique. Sexus omnis a cibo abstinet:	
Et terra Niniuen hauriet uasta specu?	
Non ita. Benignus arbiter mundi Deus	/7v/
Frenabit iram: ponet ignitum flagri	
Telum minacis, Ethnicis monstrans uiam	85
Etiam salutis, dansque spem ueniae reis.	
Sed quo propheta tendit incessu graui?	
Declarat habitus mentis aegrimoniam	
Faciesque curas intimi prodit sinus.	

Actus primus

Scena prima

Jonas Propheta

O magne Olympi rector et mundi potens Dominator, astra cuius imperium tremunt Barathrique caeno senta deformi loca. Ego sum Sareptae filius uiduae puer Defunctus ille, quem Deo plenus suo Restituit Elias domo orbatae uiro.	90	
Caliginosae iura sum expertus necis Nigrantis horruui iacula mortis fera. Adulta postquam fecit aetas me uirum, Arcana pectus consilia sensit Dei. Imperia cuius sancta perpetuo sequens Sionis arces adii et holocausta obtuli: Vbi uenerandum erigitur ad nubes Dei Templum: et ubi mille sacrificus icit boues Culter: sacerdos seruat ubi summus sacrae Legis tabellas, uirgulam et caeli dapes Vbi denique omnia redolent numen Dei. Deinde ad nepotes Isaci, et Lothi genus Voce excitandum patrii ad cultum Dei Sum missus. Aliquid profuit tribulibus Vox comminantis Ionae, et exemplum meis.	95	
Quid caeteris? Mecum pauesco cogitans Caecam rebellem, pertinacem pectoris Noctem obstinati. Surdus est ad omnia Monita salutis populus Israel. Faces Admiror equidem uindices caelo Deum Non e supremo iacere. Si Rex inclytus Ditione magna finibus haberet suis Similes clientes, perderet ferro omnia Oppida superbis inhabitata a subditis. O praedicandam posteris seclis Dei Pii, benigni, commodi clementiam! Samaria picti pro Deo, trunci meras Venerata nugas, arborum inter frondeum Tegimen Baalis extulit statuam. Scelus Hoc uindicari peste, morbis, et fame, Potuit. Sed ille Misericordiae parens Hominum ad salutem pronior quam ad funera Poenas repressit. Videt Abrami genus Humile, et pudendis grauiter afflictum malis: Me misit ut solarer Israel domum Bene ominando. Dixeram gentem ultimum Ad littus usque quod maris aquae perluunt Per solitudinem iugo oppressam graui Poenas daturam foederis facti impie.	100	/8r/
Iam uictor illis iure Ieroboam suo Victis colonis uincola, et leges dedit. Sed non gelatum pectus in fluctus adhuc Iuncta solutum est solis aetherei face. Regnat libido, regnat indomitus furor.	105	
	110	
	115	
	120	
	125	
	130	
	135	/8v/

Flagitia habenis cuncta laxatis uolant. 140
 Aestuo dolore: ferre quis sanus queat
 Populi proterui morbidas animi febres?
 Quis turpitudinem? Quis ingluuiem? Dolor
 Me carpit aegrum cerno dum petulantiam
 Fastu tyranni insanientis turgido. 145
 Me persequuntur damna, me lacerant probra
 Plebis, mederi si malis tantis uolo.
 Sed uideo ciues urbis insanae duos
 Huc inquieto conferentes se gradu:
 Procul obloquentes aure non segni audiam. 150

Scena secunda

Cacurgus. Melampus.

Ciues Samaritani, Ionam eiiciunt etc.

[Cacurgus]

Vbi pestis illa ciuitatis Regiae
 Feralis instar uolucris, aut genii mali
 Obmurmurantem ingeminat afflictus sonum?

Melampus

Cornice peior, peior est noctis stryge,
 Bubone peior: timeo ne mihi fascinet 155
 Sobolem tenellam. **Cac.** Eliminanda est bellua
 Hodie Melampu[s], quae aerem, fruges, domos,
 Pueros, senectutem, et iuuentam territat

/9r/

Melampus

Praefectus urbis, et Magistratus iubent.

Cacurgus

Nempe oblatrantem ferre iam nequeunt feram 160
 Ita petulantes iactat audacter minas.
 Vtinam inuenirem! Forsan offensus probris
 Abiret orbis in recessus ultimos
 Praeceptis profundi uel maris peteret lacus.

Melampus

Latere nusquam poterit, et lateat licet 165
 Ego per cauernas Tartari inueniam uias
 Qua nos minaci uoce turbantem extraham.

Cacurgus

Multandus hodie est debitis poenis reus.
 Voluam, et reuoluam cuncta, ne prosit fuga
 Homini fugaci: cuncta scrutabor loca. 170

Si forte Pluton noctis abscondit suae

Velo paudentem, uel Megaerae crinibus

In sibilantes margines Lethes pigrae

Eo ibo. **Mel.** Fissa dehiscit iam tellus mihi.

Viden' Barathri regna? **Ionas** domicilium tuum 175

Olim futura. **Cac.** Perculit geminas sonus

Aures. Mel. Prope est. Cac. volo admouere ut audiam Non segnīs aures ad sonum. Audacter loqui Solet ille. Verbum peruicax effundere		
Si caeperit! Ion. Quid? En loquor. Furto, stupris, Alti rapinis mille, scelerati, modis	180	
Cur iura caeli temnitis? Quoadusque atrox Pectus cruorem, uastitatem, incendia Profana sacra mista patietur Deus?		/9v/
Cacurgus Quam stolide nobis fabulam narras? Tace Ne morte poenas murmuris stolidi luas.	185	
Ionas Egone ut refrenem numinis sancti impetum Iubentis urbis scelera uulgari? Vt Dei Imperia summi flocci pendam? Vt criminum Supplicia taceam gentis infandae? Prius	190	
Demerget ortus, referet occasus diem, Pacta ante fida niuibus et flammis erunt Et Scylla Siculum iunget Hesperiae latus; Violentus ante stabit Euboica piger Euripus unda, et continebit uertices.	195	
Melampus Agedum efferatas rabide uoces amoue Et disce magni imperia Ieroboam pati.		
Ionas Parebo Regi pareat si Rex Deo.		
Cacurgus Audis profanos uatis in Regem sonos?		
Ionas Regem, clientes, nobiles, plebem, uiros Puerosque cerno moribus turpes malis	200	
Melampus Numquid scelesta facta sectamur patrum?		
Ionas Vtinam secutos moribus natos patres Non nequiores cernerem. Cac. quid somniat Ariolus iste? Mel. Somnia, aut nugas refert.	205	
Ionas Nugatur ille qui Dei nugas putat Monita benigni, quique statuas erigit Passim Baali. Cac. Numquid est alius Deus Similis Baali? Ion. Falleris: non est Deus Foedi Baalis statua quam Israel colit.	210	
Cacurgus Deus ergo? Ion. Deus est ille qui caelum mouet, Et qui Israelem ducit et seruat suum. Baale uestro figulus est dignus magis Qui finxit illum encomiis. Mel. Patimur uiri Insanientis amplius dementiam?	215	
Baalis ore laedit incesto sacros Ritus. An orbis conditor nos deserit		/10r/

Vnique aperit arcana Ionae foederis Cum Mose pacti? Non mihi, non ciuibus, Non urbis huius incolis? Ion. Per me omnibus	220	
Loquitur, tabellas ut colat legis sacras Stirpis Israelis. Audiatur sancti suos Vates Abrami natio, Deum audiatur.		
Melampus Quid ais? Ion. Deum spreuistis. Mel. Vt haberet Deum Samaria notum, spreuit ignotum Deum.	225	
Ionas Quid taceo uates? Celo cur minas Dei? Audite miseri: populus Israel Deum Suum reliquit, derelinquet eum Deus.		
Cacurgus Eia, ominare melius? Mel. Odi uirum istum Quia semper aliquod spumat infortunium.	230	
Ionas Vultis prophetas blandientes sensibus Libidinosus. Veritas odium parit.		
Cacurgus Omitte questus. Ion. Quos? Cac. inanes. Ion. Hos sonos Vocas inanes? Cac. Scilicet: frustra obruis Clamore ciues. Ion. Pro Dei Numen! Mel. Iubent	235	
Vrbe hac Magistratus abire te procul, Nihil immoreris. En placita tabulis patent. Ito, ito propere: cura nobis est data Te eliminandi. Perge, iam urbem libera Piaculo. Ion. Ego piaculum urbis, quam Deo Conor placentem praedicando reddere?	240	/10v/
Cacurgus Cessas uerenda imperia praefecti exequi Vrbis? Ion. Tonantis imperia Ionam mouent.		
Cacurgus Etiam mouebunt te magistratus minae.		
Ionas Si iusta suadeant. Mel. Manus ni pareas Has senties. Ion. Parebo. Sed numen prius Solutus Tonantis consulam, quo me exulem Mittat. Mel. Vide sis: si forsitan hac iterum gradum Hodie intulerimus, et fueris hic, carceris Vmbra subibis, uel feres malam crucem.	245 250	
Ionas Bene est. Cac. male hodie ne tibi sit, hinc migra.		

Scena tertia

Ionas, Oraculum

Ionas
Regnator orbis aspicias ludibrio
Habitum prophetam, nec iacit flammam manus

Ionas

Heu uideo. Lacrymis lumina exundant mea. 300

Fomenta uulnus respuit uulgi. Nota

Quin ego propheta exturbor infami tuus.

Oraculum

Ergo age rumpe moras Amathi indubitata propago

Qui sacra diuinae praesago pectore mentis

Consilia exploras, et quae lex sancta tenebris 305

Occulit arcanis miracula uoce recludis

I, fuge, qui rident animo mea iussa rebelli.

Ionas

Eritne Ionae placida sedes exuli?

Oraculum

Non requies non ulla uacat tibi meta laborum.

Magna paro. Surge. I Niniuen festinus ad urbem 310

Quam ualidae magnis circundant moenibus arces

Quamque habitant Syriae tercentum millia gentis

Ionas

Eheu prophetam quo Deus mittit suum!

Oraculum

Perge! Reluctantem pietate territet urbem

Vox tua, iunge minas, trifidaeque incendia flammae 315

Ostentoque soli labes Acheronte futuras

Hauriat ut specubus Niniuen terra ima profundis.

Ionas

Egone ut furentem absterream populum minis?

Oraculum

Tu sceleris Niniues, tu cladis nuntius esto.

Flagitii ualidus diuinas perculit aures 320

Clamor et in poenas ultricia numina poscit.

Accensas iam dextra faces, iam fulmina uibrat.

Ionas

Quo pectore anxio, et malis septo undique

Conuertar infelix? Grauibus animum premat /12r/

Hinc cura et illinc machinis. Deus iubet

Parere oportet. Igitur¹ hic nostrum decus 325

Retinere conuenit. Dei imperium et fides

Mea comparantur. Satis utrumque est potens

Viresque colligit facile magnas sibi.

Incertus, anceps, dubius et expers sui 330

Animus uacillat: deuto imperium Dei

Graue, et suopte pondere molestum. At miser

Imperia tollere² dura, quid uirtus erit?

Quo uoluor aestu mentis? Aut quorsum trahor?

Ah uereor alti rector orbis ne genas 335

Populi madentes intuens, irae impetum

Iustae refrenet, ut facere passim solet.

Quod si acciderit, omnes uocabunt fulem

Ionam prophetam: nostra naufragium fides

¹ *Correx* ex Agitur

² *Correx* ex tolle

Apud potentes nationes, et sinus 340
 Pelagi remotos faciet et uatum decus
 In me peribit. Fugere stat. Domini tamen
 Ionam uerenda³ subtraham a facie procul.
 Forsan loci mutatio me sospitem
 Faciet et ira me eripiet omni. Miser 345
 In quam migrabis igitur, o Iona, plagam?
 Occurrit. Alto profugus a patria petam
 Pulsata Tharsis moenia maris fluctibus.
 Eo, expeditus ut statim redeam, domum.

Scena quarta

Callistus, Macarus, Arctus, Iolas, Maeris pastores

Cantus

Omnes /12v/
 Pastor umbrosa ualle molle pecus 350
 Nodoso regens pedo cantilenas
 Ad tybiam fundebat ruris decus
 Miratus, et perennes aquae uenas.

Eius balatus ouium aures mulcet
 Ventus secunda pectus aura tangit 355
 Rosa rubore aspectum captans fulget
 Non cura spinis mentem mordax pungit.

Vnus

O luna cui nocte fusca
 Se caligo subdit, cui
 Lampada Titan corusca 360
 Flammat luce memor tui.

Aretus.

Huic uoci Corydon dedit in certamine palmam

Callistus

Et merito: quis enim tibi myrtea sarta negabit?
 Nunc age, mellitis mulce concentibus aures,
 Dum pecudes uiridem pascuntur graminis herbam. 365

Cantus et tripudium pastorum

Aretus

Tytire dum redeo breuis est mora, pasce capellas
 Vbera distendent plena ad mulctralia uaccae.

Iolas

Fronde sub umbrosa tendentis brachia fagi
 Ne nostrum obserua lupus ambiat ullus ouile.

³ *Correxi ex uererenda*

Maeris

Tytire dum redeo. 370

Callistus

Herculea quantum gaudet nemus arbore, quantum
Hybla gaudet apis, tantum nos carmine: fessum
Ergo agite, hoc alacres in gramine condite solem /13r/
Versibus alternis, Thyasisque inducite cantum

Macarus

Inuitat placida ad cantus spelunca recessu. 375

Aretus

Ergo age carminibus certemus utrinque merenti
Iudice Callisto tribuat uictoria palmam.

Contentio inter pastores**Aretus**

Iubar est mundi beatum
Iubar est uir ille qui
Imperare sibi scit, scit, scit, scit. 380

Iolas

Miser est qui regit orbem
Opibus abundans nec
Moderatur fraeno se se se se.

Aretus

Dum uacat uernantes rosas
Odoremur bis et ter 385
Non diu florebit uer, uer, uer, uer.

Callistus

Carmina non raucae disperdunt dissona fauces:
Verum Arete,⁴ accipias certaminis huius honores
Montibus in nostris, si nunc certaret Amyntas
Iudice donaret tibiserta Palaemone laurus. 390

Iolas

Tytirus est in agris, nostrum lupus ambit ouile
Vos sub rupe caua numeris inflectite uoces.

Maeris

Pascite oues. Corydon, Corydon me in pascua noster
Laeta uocat. **Callistus** Perge. Ad caelum te gloria tollit
O Arete. **Are.** Ad caelum calami me gloria tollit? 395

Non calamos inflare leues; non dicere uersus
Fronde sub arborea Zephyris motantibus umbras
Fert animus. Vatis plus quam compacta cicutis
Fistula me nostri popularis carmina mulcent. /13v/

Callistus

Nempe decus Gethae est Ionas, et gloria nostrae. 400

Aretus

Me nec uere nouo uenientis sibilus Austri

⁴ *Correxi ex Arate*

Nec tantum percussa iuuant ad littora uento
Aequora, diuini quantum sacra carmina uatis

Callistus

Ah quoties precibus sanctum litat ante tribunal
Ille Dei! Quoties mens sancta flagrantibus auras 405
Fulguribus tremere, et certam inflammata minari
Messibus astra luem praesentit, adureret agros
Atra lues, nisi nos scelerum monuisset, et aequam
Placare offensi suasisset numinis iram.

Aretus

Quem uideo pondus flexa ceruice ferentem? 410

Scena quinta

Jonas. Dulus, puer. Aretus, Callistus, Macarus, pastores

Jonas

Perge puer, longo non limite dissidet urbis
Portus. **Dul.** an in nauis premet hoc quoque pectora pondus
Atque humeris confine caput! Sudore madesco
Vixque fatigatae figunt uestigia plantae.

Aretus

O Iona, uenias, uenias, te rustica ludant 415
Carmina, te noster complexus in aera tollat.
Vise tuos, Iona, Gethaea noualia uise.

Jonas

Non tempus, non ulla animo data amica quietem
Hora meo. **Cal.** Quae tanta animi penetralia torquet 420
Cura tua? Quo tendis iter? Sunt clara doloris
Ore fatigantis uelut oestro, signa medullas.

Dulus

Dum sermone dies teritur, mea membra quiescent.

Macarus

An uates alio profugus migrabit? **Ion.** Iniquo
Exilio mutare solum Samaria coegit.

Macarus

Te Getha accipiet. **Ion.** Credo. Sed iussa Tonantis 425
Imperiosa procul Gethaeo a rure repellunt. /14r/

Aretus

Quo iubet ire Deus? **Ion.** Niniven iubet ire. **Are.** Necesse est
Parere. **Ion.** Imo aliud. **Aret.** Quid? **Ion.** Scilicet ire per altum
Atque nouas habitare domos, et quaerere sedes
Trans mare, trans Syrii spumosas litoris undas. 430

Aretus

Cur fugis a facie, uates Ophirae, Tonantis!

Jonas

Nota mihi est Domini clementia. Viderit ille
Cum primum lacrymis populi manantibus ora
Sparsa, et sanguineis plangentia pectora palmis,
Supplicia auertet. Tum me dementia plebis 435

Mendacem, et uanum uocitabit ubique prophetam. Et feret hoc Ionas? Are. Quid ni? Ion. Feret ante pruinas Flamma. Call. Mane inter nos saltem. Ion. Stat abire. Call. Relinques Nos uates? Ion. Quid agam? Populos clarissima prisco Inter Idumaeos muro se attollit Ioppe Virgo ubi crudeli patuit Cypheia monstro. Huc feror. Hinc Tharsis conscendam transtra carinae. Macarus Scilicet hoc dudum praedixit ab ilice cornix Hoc strix admonuit per iniqua silentia noctis. Aretus Hoc quoque ferali protendit carmine bubo, Errantes in agris cum terruit ore capellas. Callistus O maneat uates, maneat dilecte Tonanti. Tu decus est pecoris, uerni tu gloria ruris. Dulus Iam sopor irrepit, iam fessos irrigat artus O utinam multas ducant sermonibus horas. Macarus Iam teretes pendent oculorum in limine guttae Quid faciam sine uate puer, qui ad dogmata legis Diuinae aetatem formandam uoce monebat? Ionas Quid ploras, formose puer? Te rector Olympi Te diuina suis decorabit gratia donis. Callistus Ecquid ego sine te, quid caetera turba per agros Vatis egens faciet? Non Tigridis hauriat undas Villa pecus, nullae attendant mihi prata capellae, Pendeat ad salices pastorea fistula. Ion. Sane Caucaseos inter scopulos, et lustra ferarum Fletibus his possent mansuescere nata leonum Pectora; quid Ionae? Pietas adamantina flectit Corda. Cient lacrymae lacrymas ; sed in alta carinae Caerula me inuictum ducent. Obstacula longam Multa uiam impediunt. Cal. Quando stat abire; reposta In peris capias munuscula parua precamur. Ionas Huc puer. Dul. Est aliquid quod me grauet insuper? Ion. Istud Est leue semper onus. Cal. Minuat fastidia uictus Caseus hic inopis ; quin insuper accipe brumae Pileolum, crebris hirsutum ad frigora uillis. Dulus Ah bene! iam Tyrios imitatur causia nautas: Quam capiti quadrat! Mac. Nos coctas crate camini Castaneasque, nucesque damus, uentremque suillum. Aretus Dent tibi, dent etiam o uates sua munera Cares. Dulus Quam placet hoc donum; condant marsupia ficus.	440 445 450 455 /14v/ 460 465 470 475
---	---

Ionas

Accipio eximii memorabile pignus amoris
 Vos uero in montes lacerent ne armenta leones.
 Ite : Salutatos Ionas demittit. Iniquae
 Taedia longa uiae numeris mulcete canoris

Callistus

Stant mutae cum uoce lyrae. Da iungere dextram 480
 Da uates, teque amplexu ne subtrahe nostro

Ionas

Accipite amplexus, lacrymasque. **Mac.** En moesta profusis
 Ora madent lacrymis, uincunt mea lumina fontes.
 Extremum uenerande uale pater accipe nati

Aretus

Me miserum sine patre puer, sine uoce prophetae 485
 Quid uiuo? hoc liceat amplexu effundere uitam

Ionas

Heu me! per altos rapior infelix sinus
 Pelagi frementis; turba pastorum sui /15r/
 Sine lite felix tugurii intrabit lares.

Quo me uoluntas impetu caeco trahis? 490

Tibi obsequendum est? Obsequar, quando Dei
 Difficile numini, et molestum est obsequi.

Simulabo quantum potero maesti pectoris

Curas, timores, anxietatem, metus.

Sermocinari per uiam, et loqui lubet. 495

Adesne puer ? **Dul.** Adsum. **Ion.** Sequere me per uiam

Licet aestuosam. Finis est cursus prope.

Dulus

Sequor libenter; timeo sed rabiem famis

Quae pauperem morsu insequitur herum improbe

Magisque famulum. **Ion.** De cibo iam cogitas? 500

Dulus

Sane. **Ion.** Tonantis prouidum numen suos

Vbique consolatur, et fruges parat

Mortalium si frugibus uita indiget.

Dulus

Quid ergo terras petimus externas, opes

Vt congeramus, suppetent fruges uiris 505

Etiam otiosis. **Ion.** Suppetent, uacet Deo

Mortalium otium. Sed age, gressus moue

Ocyus. Ioppes cerno iam muros prope

Et quae ligarunt saxa maestam Cephida.

Dulus

Nescio frementi quid meas complet sono 510

Aures ? **Ion.** Frementis strepitus auditur maris.

Scena sexta

Tiphys, nauclerus. Nauarchus. Dromus, nauta. Ionas. Dulus, puer.

Nam quis per altum tutius rexit mare

Quam nos carinam? Na. Clauus est nobis freti Cui paret unda, paret et uenti fragor Vestra ad Britannos naue, uel Morinos ferar .	515	/15v/
Dulus Nautas procul, ni fallor, aspicio duos.		
Ionas En incitato conferunt huc se gradu.		
Dromus Helicen carina Graia non certam notat. Cynosura nobis sidus haud fallax micat.	520	
Ionas Mane puer, mane audiamus quid ferant		
Tiphys Tharsis petenda est nobili emporio sita Libycis in oris: onera sufficiunt rati.		
Nauarchus Difficile merces inferam puppi nouas.		
Tiphys Phoenices adsunt, et Palaestini uiri Carthaginenses, uisque gentis maxima.	525	
Dromus Quae nos moratur causa, ne uentis ratem Tradamus? astra splendida rutilant face Amica nautis. Arctos in celsa poli Glacialis arce noctis in tenebris nitet Et clara fratris signa Tyndaridae micant.	530	
Nauarchus Flabit secundus uentus, ut spero, cito.		
Tiphys Aurora caelo fulserit si crastina Vultu sereno, possumus funes ratis Praecidere ⁵ et leuare geminas anchoras.	535	
Ionas Accedo propius Tharsis ad nautas, mane Puer hic. Tiph. quis hic loquitur homo? Drom. Ehem huc se mouet.		
Ionas Saluete plurimum boni, et frugi uiri.		
Nauarchus Sis saluus : unde nos bonos nosti uiros ?		
Ionas Non otiosum ducitis uitae genus, Sed per labores semitam contenditis Procul a rapinis ; at laboris semitam Quot quot terunt, ut plurimum uiuunt bene.	540	
Dromus Pulchre philosopharis. Tiph. Sophon habemus, sophon Facies, capilli, uestis, incessus, sonus Ostendit. Na. Ecquid philosophe apportas. Ion. Fero Me ipsum, fero puerum hunc, et istam sarcinam	545	

⁵ *Correxi ex praescidere*

Sed uos per aequor quos petitis orbis sinus ?		/16r/
Nauarchus		
Tharsis Libyssae. Ion. Longa nauigatio est		
Egetque doctis nauium rectoribus	550	
Quibus magister usus accedat uiae.		
Tiphys		
Vsus magister omnium est rerum Optimus.		
Hoc nitimur, quippe haec uia a nobis fuit		
Non quinquies, aut sexies, sed saepius		
Enauigata prospero semper Noto.	555	
Dromus		
Speramus et nunc cursus ut felix siet.		
Nautas peritos unda uix fallit maris.		
Ionas		
Periculosi laetor inuentos mihi		
Comites laboris, taedium minuet uiae		
Comes fidelis. Nauta solatur Sali	560	
Molestias expertus undarum uices.		
Nauarchus		
De nauulo agamus. Ion. Perplacet. Tiph. Ternos mihi		
Crumena centusses minus non expuat.		
Ionas		
Quos unciatim numulos parsi dabo.		
Da numulos puer. Dul. Dabo. Tiph. Da protinus.	565	
Dulus		
En cum dolore maximo, et magno famis		
Me tu futurae largior pecuniam		
Tiphys		
Accipe Drome, et fideliter numera. Drom. Bene		
Constat ratio. Tiph. Moneta quid? Drom. Etiam placet.		
Tiphys		
Argentea est ? Drom. Non aere Dalmatico riget.	570	
Tiphys		
Conflata ubi est pecunia ? Drom. Apud urbem puto		
Solymam, uel urbes Isaci priscas patris.		
Ionas		
Sic est. Tiph. Colonis patriae nostrae placet		
Drome haec moneta ? Drom. Sunt prope Assyrii uiri		
Et numularii, quibus cum pactio	575	
Fiet. Na. Facito. Mox bis coctos panes eme.		
Cito ad carinam perge, sint praesto omnia.		
Dromus		
Eo, facio, pergo, coemo, paro omnia.		
Tiphys		
Superest ut inferas onera naui tua		
Vt praestrepentis clangor auditus tubae	580	/16v/
Cum fuerit, adsis libero adproperans gradu.		
Ionas		
Nauale conductam ut ratem uideam peto		
Praceuntium uestigia sequamur puer.		
Dulus		

Sequamur. Isthæc grauior est iam sarcina.
 Pulsatur ictu tympanum assiduo, uocat 585
 Ad nauigandum crastinus nautas dies.

Chorus primus

Non esse latebram sceleri

Conde te pigris ubi nulla campis
 Arbor aestiua recreatur aura
 Conde te Titan ubi luce gentes
 Feruidus urit. 590

Te uel in terra domibus negata
 Ira diuinae premet ultionis.
 Numinis rubras uomit, usque uindex
 Dexteræ flammas.

Quid Dei, Iona, faciem benigni 595
 Quid fugis terras procul in remotas?
 Cuius offensi tremet omnis iram
 Angulus orbis.

Ah miser quantas patiere clades!
 Aeolus soluet per inane uentos 600
 Et Thetis inter pelagi frementis
 Stagna mouebit.

I modo, et nautis pretium carinae
 Solue conductæ, freta scinde rostris:
 Mox scies⁶ nullas latebras scelestum 605 /17r/
 Pectus habere.

⁶ *Correxi ex sies*

Actus secundus**Scena prima****Ionas, Dulus puer**

Quis te fefellit error o Iona? domum
 Patriam, propinquos, fertiles linquis agros?
 Extorris alta puppe tranabis mare?
 Deus procellis obruat me si uolet. 610

Sed est benignus forsitan parcet reo
 Veluti pepercit patribus quondam meis.
 Ero exul inter barbaram gentem atque inops
 Sed exedendum est istud infelix malum. 615

Est est eundum. Existimatio enim, fides
 Splendor, decus, gloria, uigorque et dignitas
 Sermonis ore fundo, quem diuinitus
 Periclitantur. Dulce pro fama est mori.
 Nunc explicata fronte quando opus est meae
 Simulabo uultu mentis aegritudinem. 620

Eho dum puer. **Dul.** Quid? **Ion.** Nauticos panes habes?

Dulus

Habeo; sed ipsis duriores cautibus

Ionas

Quis me per auras turbo praecipitem uehet
 Atraque nocte inuoluet? Vt nequeam grauem
 Tegere furorem mentis? **Dul.** Horresco ratem 625
 Nautas, notos, fulmina, mare; at teipsum magis
 Pauesco. Tanta est oris afflicti metu
 Commotio. **Ion.** Caelare difficile est notas
 Vultus tegentis pectore occulto scelus. /17v/

Dulus

Quid ergo nauem ascendimus? **Ion.** Pudor iubet 630
 Iubet uoluntas. Sed quid haec puero? Puer
 Age, quaere, propera quaere dum fas est aquam
 Metus omnis absit. **Dul.** Absit, si potest tamen.

Ionas

Ito: quid haeres? **Dul.** Inferam lymphas statim
 Naui: replebo ligneos undis cados. 635

Ionas

Inter loquendum ratio succurrit mihi
 Stimulos doloris morbosos ualde efficax
 Ad mitigandos: quippe non desunt patrum
 Exempla ueterum quos Deus numquam suis
 Iussis prophetas futiles fecit. Decus 640

Quin ipse uatum semper ornauit magis
 Magisque. Priscos ille decorauit patres
 Nec turpe famae dedecus quemquam bonae
 Hodie subire cogit, aut turpem notam.
 An innocentes turpibus homines Deus 645
 Contaminari exoptat opprobriis? Nefas
 Id cogitare existimo. Sed uideo Dromum
 Nisi fallor, et Tiphyn carinae principes.

Scena secunda

Nauarchus, Dromus nauta; Tiphys nauclerus; Ionas propheta

Nauarchus

Et est ferenda desidis Ionae mora?

Dromus

Vicos, plateas, compita, et fori loca 650
 Gymnasia, tonstrinas, pallaestras et sacras
 Aedes pererrauit, neque hunc potui uirum
 Offendere unquam. Sum fatigatus nimis
 Sed quaeritando non fatigabo pedes
 Amplius. **Na.** In altum lina iam uocat Notus 655
 Polluxque ponto sidus optatum micat
 Cum fratre solitas diuidens fati uices.

Tiphys

Inflare iussi classica et geminas tubas
 Vt quisque se recipiat in nauim: uirum 660
 Omitte et curam quaeritandi. Prósperos
 Dum clangor aeris increpat rauci moras
 Captare uentos est uolupe nunc mihi.
 Hanc Aquilo nauim impellere hinc Auster solet
 Illinc Eous Eurus; at Zephyrus iubar 665
 Illinc cadentis abdit Oceano facis.

Dromus

Est aura nobis cognita omnis: sed maris
 Qua parte diriget rostra clauo manus?

Tiphys

Trinacria linques Maria, linques aequora
 Sardo, littus Africae Syrtis leges.

Ionas

Quid hoc? **Na.** Quid hoc? Dic, dic homo, dic Tharsicae 670
 Oblite nauis, foederisque icti immemor
 Quid cogitasti? **Tiph.** Deseris nostram ratem
 Puerumque aquatum mittis Oceani immemor,
 Nauisque conductae. **Ion.** Quid exprobras moram?

Tiphys

Causam reposcis? **Ion.** Quid agam? Iter, tempus, puer 675
 Nautae uidentur augurari pessime.
 Sed est eundem. **Drom.** Nescio quid hic mussitat?

Tiphys

Quid mussitas? Mussare si uis hic mane.

Nauarchus

Si uis uenire concita lentos gradus.

Ionas

Si tempus est soluendi ad uia conuolo 680

Propere incitato regna Neptuni pede.

Tiphys

Propera: sequamur, caeteri ut properent, Drome.

Scena tertia**Daemonarches primarius daemon****Daemonarches**

/18v/

Ego Daemonarches exero in caelum caput

Opaca linquens Ditis inferni loca.

Sed uix supernam ferre iam lucem queo! 685

Vbi sunt nocentes? Vbi rogales fulgurant

Taetae? Quid oculos pascet optantis luem

Flammasque gentibus? Scio, scio, gaudia

Ego mille nigro spondeo hodie Tartaro.

Niniue superba quae meum patitur iugum 690

Curae est Tonanti. Misit Assyriis suum

Vatem. Sed ille cassibus captus meis

Alio recedit profugus a patria. Modo

Opus est uacillantem datum post praemium 695

Nautis, monere, pellere, hortari ad fugam.

Dum res peragitur cedo paulisper loco.

Scena quarta**Battus, rusticus, emporus uector. Daemonarches**

Quae bellua illa? Quod genus monstra? **Emp.** Sine

Est umbra. **Bat.** Pono sarcinam. **Emp.** Tenuem times

Vmbram uaporis. **Bat.** Lapidibus tundam prius

Monstri latebras quam timere desinam. 700

Exi foras bellua, foras exi. O feram

Pecori, casis, segetibus, et tenero gregi

Nimium nocentem. **Daem.** Prodeo e latebris. Malus

Tibi nunc sceleste, et spiritus nocens ero.

Battus

Morior, morior, o Empore, heu morior miser 705

Emporus

Quid te miselle territat? **Bat.** Lumbos mihi

Infregit umbra noxia. Heu morior miser.

Emporus

O caput innane mentis! umbrae deficiis

Incursu. Aquas pallentis in faciem pluam

Vicinus aliquis urceum mihi commodet? 710

Surge age. **Bat.** Reuixi. **Emp.** Viuis et moreris cito.

Battus

/19r/

Rex et monarcha? **Emp.** Quin habebis calceos.

Battus

Quos? **Emp.** Elaboratos iugis cantabricis

Quos nulla mollit pluuiā, nulla conterit

755

Duri lapilli diritas. **Bat.** Tales diu

Desideraui, nempe firmis pellibus

Soleisque firmis. **Emp.** Senties firmissimis

Ah! Ah! Miser homunculus ut insanit? Suo

Quos calceos intelligam, sciet malo.

760

Scena quinta

Nauarchus, Tiphys. Emporus. Dromus. Battus

Quid hic moramini? **Emp.** Quid est? **Tiph.** Conscendite

Celeriter in nauem. **Drom.** Eia, ferte sarcinas.

Emp. Volo ante uobis optimum socium uiae

Doctumque cursus syderum hic ostendere.

Tiphys

Hic est? **Emp.** Vt ille maxime sese tegat

765

Scientiae illum deteget clarum iubar.

Tiphys

Ille, ille crispo crine deformis, rudi

Panno inuolutus barbaro aspectu sapit?

Battus rusticus

/20r/

Sub sordido hoc panno latet sapientia.

Praedictione nuntio certissima

770

Pluuias, tonitrua, fulgura, et gelidas niues.

Sulcos aratro facio rectos admodum

Vt posse fungi remigis me existimes

Munere supremo dignitatis nauticae

Nisi ludit Emporus. **Emp.** Ego ludo neminem.

775

Tiphys magister nauis en adest: roga

Si uis. **Bat.** Magister, o magister dignitas

In puppe summa remigum est, an fallimur?

Tiphys

Quis dubitat? Affectasne munus maximum?

Battus

affecto; quippe qui peritus siderum

780

Et temporum sum. **Drom.** Volumus ut specimen tuae

Des artis aliquod: ne grauissimo tibi

Munere tributo saxa comminuant ratem.

Battus

Ego sum mathematicus et astrologus; scio

Captare uentos Africum, Zephyrum, Notum.

785

Nauarchus

Qui uentus hodie perflat? **Bat.** Id praedicere

Nullum est negotium: camini fumidi

Frondesque plantarum arduae uentum indicant.

Accede rector nauis, accede huc: uides

Ramos oliuae mobiles? Nau. Video. Bat. Vides	790	
Fumos domorum? Nau. Video. Bat. Petasum num uides?		
Nauarchus		
Etiam. Bat. uirentes agitat Auster arborum		
Frondes et atros concitat fumos. Tiph. Plagam		
Quam flatus Austri uendicat caeli. Bat. patet		
Dromus		
Nempe? Bat. arborum frondentibus quam proximam	795	
Comis, caminis, montibus. Tiph. Domus ubi		
Uentis paratae. Bat. non egent uenti domo		
Per aerem, per maria, per montes uolant.		
Emporus		
De sideribus adhuc rogare possumus		
Aliquid. Na. Per orbem signa caelestem tenes	800	/20v/
Deposita? Bat. Nihil melius. Tiph. Arietis cornua		
Vbi sunt? Bat. Vbi aries. Tiph. Taurus. Bat. est in pascuis.		
Vellem altiora posceres? Tip. Placet. Duae		
Vbi sunt repostae ursae? Bat. aluearia utinam mea		
Non circum irent. Tiph. Vbi capella cãndidos	805	
Haedos fouet? Bat. foueret utinam saepius		
Caulis tenellos incubans foetus meis.		
Dromus		
Belle quidem. Tiph. Quid de leone? Bat. in montibus		
Libycis leonês rugiunt. Tiph. Cãncer? Bat. maris		
Duris adhaeret cautibus; cancer alius	810	
Serpendo membra pestilens hominum uorat.		
Emporus		
Nil cogitare argutius Tiphys queat.		
Nauarchus		
De sole poteris aliquid efferre? Bat. ordine		
A sole colligo diei horas. Tiph. Statim		
Te remigem, te principem transtri inclytum	815	
Faciam diei colligas si ex ordine		
Praesentis horas. Bat. colligere non est labor		
Ostende: radium. Drom. En radius. Bat. hoc in puluere		
Hinc, inde ductis lineis facio crucem.		
Media uerutum parte stat confinii	820	
Vtriusque lineae: umbra cum tangit, manu		
Quam tango lineam. Media mundo est dies,		
Quia uero sol recessit a media plaga		
Iam pronus: hora lucis est nunc tertia		
Vel quarta. Praecipitat in occasum dies.	825	
Dromus		
Plaudamus illi manibus. Emp. Attingit scopum.		
Est dignus omni Battus applausu meus.		
Nauarchus		
Nihil immoremur amplius. Sententiam		
Fero. Peritus siderum et rerum omnium		
Remex mathematicus erit. Sed sarcinas	830	
Corripite celeriter. Tiph. Fauet uentus, dies		
Omnia. Bat. fauet uentus, dies, et omnia		

Eamus. Tiph. Eia prosper est flatus. Drom. Tuba Quin rauca sonitu maximo funes monet Raptim moueri, et anchoras tolli e mari?	/21r/ 835
Nauarchus Bene modulantes huc Drome iuuenes uoca.	
Battus Eamus Empore ad ratem. Emp. Turba interim Cantillet omen more consueto bonum.	
Dromus Littora uocatu curua cantores tuo Complent. Na. euntem cantibus laetis ratem Sequimini ab alto littoris curui iugo.	840
Cantus nautarum Da mihi, da faciles in uela tumentia uentos Aeole, da patrios Tharsis adire Lares. Sterne maris placidas Neptune tridentifer undas Impleat ut tumidos aura secunda sinus.	845
Dromus Consendite in nauim: eia, non fiat mora.	
Tiphys Celeusma nauticum audio. Drom. Precamur uiae Felicitatem. Nau. Prosper hic cursus siet.	
Dromus Dicamus omnes. Omnes prosper hic cursus siet.	
Scena sexta	
Battus. Emporus	
O caelites adeste propitii, precor, Adeste: Battum nausea misellum enecat.	850
Emporus Quo tendis? Bat. Eheu uiscera effundo. Emp. Mane Vestigio in ipso. Bat. fugere nauigium uolo. Hei, hei mihi. Emp. Cessabit haec molestia. Veni in carinam. Bat. quid? Carinam? Abi retro Abi Satana. Catus aquam exustus timet. Capiti admouebo nausea laeso manum.	855
Battus Abi hinc homo. Emp. Manere uis hic? Bat. maxime Pisces in unda, Battus in terris aget O terra, terra, tu pedes fulcis meos. Mare glutiebat crura, plantas, pectora.	/21v/ 860
Emporus Mane ergo. Lyntre consequar celeri ut ratem Eo. Bat. ito: fortunam auguror malam tibi Ego, mihi notas uulpium sequar uias. Eheu per ora eructo partes uiscerum. Audite superi, audite uos homines quoque Iuro per astra, iuro bis, ter et quater	865

Non nauigaturum, aut iturum unquam ad mare
 Battum. Sed ecce Bellua e latebris foras
 Erumpit: eheu tremisco; uos pedes mihi 870
 Consulite; flatu morior heu, morior miser.

Scena septima

Daemonarches, Leuiathan, Behemoth, Asmodaeus

Aequalis astris gradior, et cunctos super
 Clarum superba fronte contingo polum.
 Vici prophetam. Summa uotorum attigi.
 Bene est, abunde est, iam sat est, etiam mihi. 875
 Timui uacillantis uiri inconstantiam
 Sed parta iam est uictoria. exulta Charon.
 Nunc, nunc Tyranni qui incolit Niniuen domus
 Et ipsa Niniue munienda est turbido
 Pallentis Erebi machinis factis lacu: 880
 Huc Leuiathan, eia propera ad uiuos ocyus.

Leuiathan

Adsum uocatus pallidi e regni lacu
 Caliginosae transiens Lethes uada.
 Fallacias, uersutias, fraudes, dolos /22x/
 Texere peropto. An arte nostra est hic opus? 885
 Curram et recurram mille me uertam in dolos
 Spoliis ut hominum regna ditescant Stygis.

Daemonarches

Iussu prophetam qui fuit missus Dei
 A ciuitate auerti ut urbs pereat Nini
 Tui est negotii peragere; sed modum accipe. 890

Leuiathan

Teneo ut opinor. **Daem.** Dic. **Leu.** Placebit autumo.
 Mutare sumpti corporis cultum uolo
 Cedo modestum uatis ornatum Dei.

Daemonarches

Vestes gelatus suppeditat aer tibi.

Leuiathan

Compone laxae uestis effusos sinus. 895

Daemonarches

Quam facile tenues induunt manes nouas
 Hominum figuras! Finge ceu in praeludio
 Motus modestos. **Leu.** fingere est nullus labor.

Daemonarches

Imitare pompam symmatis Leuitici

Leuiathan

Demensa spatia conficio motu pedum 900
 Pompatice incedentium en imitor gradus

Daemonarches

Papae! Sacerdos cedit Hebraeus tibi
 Vultu, colore, uoce, hypocritam indue

Leuiathan

Mecum iste labor ero inter Hebraeas tribus
Decus omne Iudae: mentiar honestum uirum 905

Daemonarches

Incessus iste perplacet, caudam tamen
Absconde nigram. Dicitant homines, nigrae
Caudae cauendos tortuosos ambitus.

Leuiathan

Bene monuisti. **Daem.** Urbem ingredi iam hypocrita.
Cessare nequeo, magna molimur: meis 910
Pulsare terram pedibus infernam lubet
Veniat Behemoth, tostus et grauiter suo
Igni Asmodaeus. Eia non fiat mora.

Behemoth

Telluris imas rupimus latebras; lacus
Orci nigrantes liquimus; prompti adsumus. 915

Daemonarches

Laetetur hodie Tartarus. Delibero
Vallare uestris opibus urbem hanc uocibus /22v/
Ionae prophetae, quam Deus uoluit sibi
Dicare. **Omnis** nostris opibus in Deum utere.

Behemoth

Behemoth iuuabit. **Asm.** Asmodaeus maxime 920

Behemoth

Quin ecce multo uasculis uiro illitis
Venimus onusti pallidae e Lethes uado

Daemonarches

Libate suauis ore succos pharmaci.

Behemoth

Libabo primus. Heu ad hoc est? Plurima
Video bona atque inuideo: quo demens trahor? 925
En carpor intus; tristibus laetor; bona
Conspecta cruciant: Asmodaeum abominor
Aliquod ferentem Pharmaco e tanto decus.

Asmodaeus

Cur ego rogales contineo patiens faces?

Behemoth

Sunt tela nobis ignea quoque. **Daem.** Quid? Malum, 930
Insanientes uasa manes frangitis?
Diuisa regna mole sternuntur sua.

Asmodaeus

Nostrae ad nocendum facile iunguntur manus.

Daemonarches

Abite, ciues urbis ad facinus modis
Variis nocendi cogite. In fraudem ac dolos 935
Succis probatae temperaturae ducem
Trahite clientes, pauperes, inopes, domos
Profana, sacra, tecta, clamosum forum.

Behemoth

Imus: repulsis pessulis ualuae patent.

Daemonarches

Vt aperta semper manibus Niniue patet!	940	
His nequiores capere spiritus potest		
Huc e caminis Leuiathan Tartari.		
Leuiathan		
En en rogali ambustus os piceum face		
Venio, et liquore membra perfusus Stygis.		
Daemonarches		
Ab Styge Baalis protinus statuam extrahe.	945	
Leuiathan		
Huc Tartarorum ferrei statuam fabri		
Afferte, properate, nihil obstet. huc Baal		
Imago lucet aereis lamnis; meae		
Fecere qualem sulphuri assuetae manus.		
Asmodaeus		
Duos haberet Tartarus si imus mihi	950	
Similes, periret funditus hominum genus.		
Daemonarches		
Quid fers maligne? Asm. Iussa compleui satis;		/23r/
Libidinem expleui meam. Probitas, fides,		
Religio, fortitudo, castitas, nota		
Virtutis omnis egreditur urbem: manent	955	
Simulachra tantum, ne Deus Niniuen uelut		
Sodomam corusco tollat e medio rogo.		
Daemonarches		
Asmodae rector perspicax fraudum accipe		
Statuam nefandae turribus gentis loca.		
Asmodaeus		
Hanc Daemonarche? Daem. Ipsissimam. Leu. Ope num eges mea?	960	
Asmodaeus		
Minime. Daem. Vide situm. Leu. Placet situs hic mihi.		
Daemonarches		
Statue Baalem rectius. Leu. Adhuc rectius.		
Asmodaeus		
Numen colendum ciuibus cunctis loco		
Suprema in arce: thure placetur Baal.		
Leuiathan		
Ah! Ah cachinos uix tenere possumus	965	
Barathri ministri, cum ferentes marmori		
Muto uidemus supplices cultum uiros		
Daemonarches		
Age, Asmodae dicito ex fastigio		
Quae scelera regnum laxius Niniues tenent?		
Asmodaeus		
Placet referre: Tartari ubi ciues duo	970	
Venere iussis obsecundantes tuis		
Mox scelera dempto fine, per cunctas domos		
Iere; nullum caruit exemplo nefas		
Auus a nepote, dextera nati parens		
Cecidit; iugalis sanguine exundat torus.	975	
Daemonarches		
Scio haec sceleste: numquid est aliquid noui?		

Asmodaeus

Virtutis a me coetus exclusus, domo
 Procul errat omni. Sanctitas urbem fugit
 Contaminatam; continens animi impetu
 Ratio recessit. Orcus est Ninive magis 980
 Quam ipse Orcus. **Daem.** Eia, pelle uirtutes procul
 Ab urbe. **Asm.** Maestus en foras prodit chorus
Leuiathan An fortitudo, temperantia, et fides
 Niniuen relinquunt. **Daem.** Regia est Niniue mihi
 Est instar Erebi quem fugit uirtus locus. 985

Chorus uirtutum

/23v/

Heroici uersus et anapaestici**Prudentia**

Cernitis infandae Niniues miserabile fatum
 O sociae exilii, o soboles mihi iuncta parenti
 Semper amore pio. Lacrymis perfundite pectus
 Et Niobes miseros miserando uincite luctus
 Plangite sanguineis maerentia pectora palmis. 990

Chorus

Accipe lacrymas, accipe fletus
 Custos nostri Regina chori
 Lugere iubes, accipe luctus
 Plangere suades, accipe planctus
 Eheu dolor heu! 995
 Quae modo rectrix animi uirtus
 Face lustrauit; tenebris Pluto
 Pectora nigrat; quid prudenti
 Rectrice Ninos sentiet orba?
 Quod sine modicis imbribus agri? 1000
 Quod sine caeli germina rore?
 Quod sine phaebi lampade mundus?

Fortitudo

Exilii fidae comites crinalia uittis
 Soluite sublatis, fluitent per colla capilli.
 Non patitur Niniues animi constantia sordes. 1005
 Insuper in Furias non ui, non aegide nostra
 Vitur. Eneruant aestiua umbracula corpus. /24r/

Chorus

Ite ad planctus, ite sorores
 Proh dolor! Hominum generi incauto
 Spicula figit blanda uoluptas 1010
 Nec sua quisquam stupidus famae,

Nec uirtutis uulnera sentit.
 Fracto celsae regnat ubique
 Praua libido robore mentis.
 Perit ah! Virtus, perit urbis honos. 1015
 Comes est uirtus semper honori
 Lapsuque perit, quo fama cadit.

Temperantia

Iungite singultus singultibus: addite fletus
 Fletibus; a cordis suspiria ducite fibris.
 Non modus est Cereris, sumptique in munere Bacchi. 1020
 Heu populo ingluuies effeminat acrius herbis
 Corda uenenatis; uultumque infecta dolosis
 Illecebris Erebi succis circum linit Hydros.

Chorus

Eheu querulo Syriae resonent
 Littora planctu; deserit urbem 1025
 Modus ille Nini, qui furiosos
 Bacchi et Veneris temperat aestus.
 Ah! Prius illi, sidera testor
 Ciues longum uoce superba
 Dixere uale. Quid aget uirtus 1030
 Passa repulsam, linquet terras
 Nocte sepultas. Scandet in arces
 Luce micantes.

Actus tertius**Scena prima**

/24v/

Iustitia

Foedata linquo tecta, conuentus, forum
 Iuuenes, senes, uiros, potentem denique 1035
 Miseramque plebem. Nulla Iustitiae locum
 Aetas relinquit; tota flagitiis ruit
 Ninos. Bilances respuit nostras: mea
 Rubigine ensis hebetat aciem. Crimina
 Mulctare quamuis capite praeciso uelim 1040
 Vis obstat, aut libido? Caelestis nisi
 Plaga ultionem criminum grauem inferat
 Veluti repressit cum Gigantum insaniam
 Arces in astra molientem machinis,
 Nunquam recedit tramite a uitae impiae. 1045
 Quid ago Tonantis Iustitia magni comes
 Virtute pulsa? Quid moror? Terras iuuat
 Contaminatas linqere; ad sedes uiae
 Mihi rutilantis aetheris semper patent.
 Profugas sorores ultima in caelum sequor 1050
 Me templa caeli flammea inuitant. Eo
 Eo ad tribunal iudicis magni arduum
 Statuat ut aliquem rebus afflictis modum.

Scena secunda**Polimbus, Chares, *scelerati ciues***

Iustitia ab urbe fugit, est uitii locus.
 Date mihi noti peruium, atque ignoti iter. 1055
 Omnes fugite, abite, hinc abite. De uia
 Secedite ilico capite ne quem meo /25r/
 Aut pectore offendam, aut genu, aut ualidis toris.
 Nec fuerit aliquis tam proteruus qui mihi
 Obsistat in uia. Moneo triumuiros 1060
 Et praesides, quos obuios si offendero
 Ensi secandos facile bicipiti dabo.
 Demarchus et Comarchus, et Lictoria
 Procul hinc facessat turba. **Cha.** Quis subito furor
 Inuasit animum? Perdere humanum genus 1065
 Moliris ense? **Pol.** Perdere audaces uolo
 Gladio triumuiros coruscanti domum
 De nocte qui me diuitem intrantem dolo
 In carcerem trusere. **Cha.** soluerunt tamen
 Te uinculis. **Pol.** Quid? Ni ligatum uinculis 1070
 Mox expediissent? **Cha.** Quid? In malam crucem

Agerere forsan. **Pol.** Caderet infractus prius
 Axis micantes lucidus qui orbes rotat.
 Vbi fraudulentae mentis intrepidae meae
 Artes iacerent? Vbi lacertorum tori? 1075
 Vbi fulminantis ictus impositi manus?

Chares

Vix ipse uires Hercules aequat tuas.

Polimbus

Depraeliantem turbinis calidi Noti
 Me more nunquam obtutibus uidit Chares.
 Quid? Per patentes demetens ferro omnia 1080
 Vicos coegi fugere Niniues praesides.

Chares

Cur immoramur? Iam diu cessant manus.

Tu bella gladiis, ego rapaci manu.

Non sic columbam miluus imbellem tenet

Vnguibus aduncis; spolia ut hae geminae manus? 1085

Polimbus

Scrutemur omnes semitas, omnes uias

Excolle. **Cha.** Lyncis habeo persimiles duos

Oculos; **Pol.** Quid ergo luminum iactu notas?

Chares

O mira! **Pol.** Scilicet? **Cha.** Video regis domum

Pueros, uiros, et foeminas; nil me latet. 1090

Polimbus

O me beatum! Sient tibi geminae faces

Oculatus uide! Triumuiros aspicias? /25v/

Chares

Procul hinc aberrant. **Pol.** Vtinam aberrant longius.

Chares

Euax, quid ego prospicio? **Pol.** Quid cernis Chares?

Chares

En rustici homines concitant huc tres gradum 1095

Suffarcinati grauibus onere sportellis.

Polimbus

Cerno. Labellis adde digitulum tuis.

Scena tertia

Menedemus, Rhoesus, Blaesus, rustici.

Polimbus, Chares, ciues

Cantus

Phaebe mundi splendor

Phaebe pater lucis

Tuus ardet fulgor 1100

Radiis coruscis

Polimbus

Audis canentes? **Cha.** Audio, uerum mane.

Polimbus

Quid? **Cha.** O mane sedere iam deliberant.

Menedemus

Fessos leuemus fasce paulisper graui

Humeros. **Rhaeb.** Leuemus. Arbitris caret locus. 1105

Polimbus

Volo insilire. **Cha.** Patere maiorem moram.

Blaesus

Ciues quietos impii ducunt dies.

Menedemus

Boni premuntur undique agricolae malis.

Chares

Maioribus prementur. **Men.** In campo greges

Armenta, pecudes educamus fertili. 1110

Rhaebus

Legimus racemos, premimus et Bacchum lacu.

Polimbus

Sunt otiosi. **Cha.** O sine. **Pol.** Negotium uolo

Facessere illis. **Cha.** Mox. Iocemur interim.

*Explicant rustici sarcinas***Menedemus**

Libet explicare sarcinas, quando nihil

Hic obstrepit. **Rhae.** Nil obstrepit? Multos ferunt 1115

Errare syluas inter has iaculis globos

Structos latronum dissecantes obuia

/26r/

Rapas colonus ueluti in agris, corpora.

Polimbus

Verum id tuo infortunio infelix scies

Blaesus

Lactis niuaem undam in mulctris fero

1120

Et cum coagulo oua gallinae decem.

Menedemus

Hic caseus denario uenit mihi

Domino ut agelli pensio faciat satis.

Chares

Iam in ore spumas asperat salsas fames.

Rhaebus

O fata dura compater. **Cha.** Satius tenet

1125

Me iam loquellae barbarae. **Pol.** Audi paululum.

Blaesus

Nostro superbi uillicus domini praeest

Ruri colendo. **Men.** Illi Dei uertant male.

Blaesus

Heus mitte questus: prandii est tempus. **Men.** Placet.

Blaesus

Epulemur. **Rhae.** Epulemur. **Men.** Cucurbitulas domi

1130

Geminas reliqui Libero madidas patre.

Blaesus

Vtinam hic haberes. **Rhae.** Non deest Bacchus mihi.

Menedemus

Quid uideo? Quid non uideo? **Blaes.** Turbato gradu
En appropinquant ensibus strictis duo.

Rhaebus

Quid duo? **Blaes.** Latrones. **Rhae.** Falleris. **Blaes.** Faller. **Rhae.** Cape 1135
Cape gladium. Meus strictus en emicat

Menedemus

Date sarcinas. **Blaes.** Rubigine obductus meus
Adhaeret ensis cingulo putri. **Pol.** Date
Mox sarcinas. **Rhae.** Vultis alienis perfrui
Opibus scelesti? **Cha.** Rustice abiicito moras. 1140

Blaesus

Abiice moras rubigo; demetat impios
Acies tua. **Cha.** Annon cessas audacter loqui?

Menedemus

Huc regis satellites; huc praesides

Polimbus

Clama miselle uoce maiori. Chares
Accipe proterui rustici gladium. **Cha.** Aeris 1145
Tranquilla perturbatur hac spatha quies.

Rhaebus

Heu me spoliior. **Pol.** Os preme. **Rhae.** Quid? Heu. **Pol.** Tace

Chares

Triumuir huc uenit, Polymbe.

Scena quarta

Triumuir. Polimbus. Chares. Menedemus. Blaesus. Rhaebus /26v/

Quae malum
Voces ad aurem? Quis clamor? **Pol.** Salue optime
Salue uirorum. **Tri.** Rustici ecquid clamitant? 1150

Menedemus

Rogas? Necarunt nos latrones hi duo.

Polimbus

Tace, tace sis. **Cha.** Rustici hi nos libere
Laesere probris. **Tri.** Vulnus inflictum est uiris?

Polimbus

Triumuir has pecunias manu accipe
Relinque nos. **Tri.** Manete rustici. Bene 1155
Vobiscum agetur. **Blaes.** Vt se scabunt mutuo!

Rhaebus

Vae pauperi. **Cha.** Tace tace. **Pol.** Silentio
Opus est. **Men.** Stomachor. **Cha.** Heus uerticem inclina. **Men.** Vt bona
Nostra rapueritis? **Cha.** It! flecte, flecte uerticem.
Nos sequere. Rustici maneant comites. **Men.** Meis 1160

Humeris fero impar pondus, heu me, O caelites!

Polimbus

Admurmurantem quid ego bestiolam audio?

Chares

Age rumpe, si uis, rumpemus segnis moras.

Blaesus

Iustitia, iustitia, iustitia numinis!

[Chares]

Iustitia ab urbe magna iam fugit Nini. 1165

BlaesusMagni ad tribunal regis properemus. **Rhae.** DomumPotius eamus. **Blaes.** Cur? **Rhae.** Pecunia mihi

Nulla est. Eamus. Vindicent superi hoc nefas.

Blaesus

Quem fulminante uideo uenientem procul

Gladio? **Rhae.** Fuge, fuge. Nescio quid hominis siet. 1170**Scena quinta****Angelus custos**

Ex quo ille fratrum pestilens turbo et lues

Olim suorum cecidit e caeli plaga

Septus nefanda multitudine, et impia, /27r/

Ille, ille coluber, flexuosus et malus

Mille inuolutus nexibus, cunctis Deus 1175

Praefecit orbis partibus, regnis, uiris

Et ciuitatibus beatos spiritus.

Mihi destinauit praepotens Niniuen Deus

Custodiendam. Respuit nunquam genus

Mea uigilantia Niniuitarum: fuit 1180

Impensa populis cura perpetuo mea.

Ingrata Niniue semper acceptis Dei

Beneficiis fluentis instar aluei

Rapitur in altum criminum praiceps lutum.

O caeca nebulis impiis mortalium 1185

Pectora. Prophetam misericordiae parens

Deus ante poenas urbis ad ciues suum

Misit, rogatu motus ad ueniam meo.

Non obsecutus est Deo uates. Ninus

Siluescit ut uestita camporum rubis 1190

Amoenitas. Tonantis ira iam telum quatit

Manibus trisulcum deuoraturum rubos

Scelerum pudendos. Ante quam fulmen cadat

Eo ad tribunal, trifidum ut auertam rogam

Dominoque pronus supplices fundam preces. 1195

Scena sexta**Angelus custos Niniues. Oraculum. Misericórdia. Iustitia**

Stellantis autor curiae, qui praesides

Populis, tyrannis, urbibus, prouinciis

Genios dedisti, meque tutandae Nino

Urbi potenti destinasti praestitem

Audi benignus Angeli uoces Tui. 1200

Oraculum

Fare: patent precibus nostrae famularibus aures.		/27v/
Angelus		
Commissa nostrae urbs magna tutelae tuum Vitiis furorem prouocat: flammis manus Tua fulgurantes in scelera Niniues parat.		
Oraculum		
Iam mea destrinxit flammatum dextera ferrum Iam manus intendit lunatis orbibus arcum Admotoque acuit lethales igne sagittas. Si peribit rabies, feralis saeuiet ignis.	1205	
Angelus		
Excusat urbem uatis huc missi fuga Atrocitatem sceleris ignoratio Caecos prophetam mitte qui hortetur duces Rudemque populum. Nisi resipuerit Ninos Hortatione, fulmen in Niniuen cadat.	1210	
Oraculum		
Ante coruscanti quam fulmine terra pauescat Iustitia Autumni portas, qua respicit Austrum Signifer et lucis reparant dispendia Chelae ⁷ Deserat. Huc miseris clementia prompta iuuandis Festinet. Geminas libet exaudire sorores.	1215	
Angelus		
Adsunt paratae ad iussa iam pariter tua Sed propius audi Misericordiam, precor.	1220	
Oraculum		
Virgineo diuae et puro fulgore micantes Quas habeo, aetheri comites, in honore senatus Queis sine nil magnum mens inchoat, astra lacessit Vt scitis, Niniue regnante libidinis igne, Prouocat ad poenas scelerata licentia caelum. Ante tamen quam nostra modum sententia poenae Sanciat, aut ueniae, uos exaudire necesse est.	1225	
Iustitia		
O rex omnipotens, qui me in subsellia regni Diuini asciscis sociam: Stygiumque Tyrannum Das premere imperio, et gentes frenare superbas. Aspicis undantem uitiorum gurgitis instar Diluuiio Nisibin? Scelerum super aethera uoces Excussa a pharetris uirosa ut tela feruntur. Stringe pater gladium; timeant tua tela nocentes.	1230	
Oraculum		
Recta mones. Stygio sontes mandabimus Orco. Tardius, aut citius tangent mea fulmina sontes Cum sacra diuinum laxauerit ira furorem.	1235	/28r/
Misericordia		
O qui terrificis montana cacumina uentis Atque proceloso maria expumantia fluctu Fulgine saepe quatis, nostris da questibus aures. Te precor, ut Ionam qui permeat aequora ponti	1240	

⁷ *Correxi ex Chaelae*

- Restituas Niniues in litore. Tela reserua
Iustitiae; flammis clementia temperet irae.
Hinc tibi laus et honos, hinc posteritate manebunt
Te longa eximii praeconia plurima facti. 1245
- Iustitia**
O germana soror; nimia indulgentia terris
Ne noceat uereor. Vix prosunt ipsa Tonantis
Imperia, et monitus ubi fraenis libera regnat
Impietas. Viden' ut Ionas mare diffidit excors
Oblitusque Dei? Niniue ruit omnis in Orcum. 1250
- Misericordia**
Quid soror in miseram moliris uerbera plebem?
Non te lactentes pueri, non cana senectus,
Non aetas, non turba mouet, non posthuma proles?
- Iustitia**
Non aetas germana mouet, non posthuma proles
Me, nisi cum domini froenat reuerentia mentes. 1255
- Misericordia**
Omnipotens, hominum si facta⁸ nefaria uindex
Plectere morte uelit: sibi quis sic fidat acerbi
Vt non exitii timeat lacrymabile fatum?
- Oraculum**
An patiar querula me coram uoce sorores
Distringi? Patiar solii decora inclyta nostri 1260
Dissidiis trahere usquam moras? Componere lites
Est animus. Niniue pro qua clementia fundit
Nostra preces, lacrymis uitabit fulminis iram.
Ante tamen quam nostra modum sententia rerum
Explicit, ostendant concordem oscula mentes 1265
Et geminae coeant animorum in pignora dextrae.
- Iustitia**
O pater o hominum et diuum intemerata potestas
Qui nos una animi discordes foedere iungis
Quas tibi pro tanto referemus munere grates?
Iungimus en dextras, atque oscula iussa **Mis.** Sorores 1270 /28v/
O Deus ut leni perfundis nectare pacis,
Vt das pectoribus placidas in amore catenas!
- Oraculum**
Accipite ergo animis, atque haec mea figite dicta
Quandoquidem stabili iunxistis foedere dextras
Consiliique mei nullo constantia motu 1275
Mutatur, Ionam Niniues quem ad moenia misi
Mittam iterum ut poenae pauidas formidine gentes
Turbet et elatae turgentur puluere frontes.
Hic timor, hic urbi uirtutes inferet omnes.
Ergo phoenicum Ionas rate uectus, in undas 1280
Sorte maris iactus, Balaenae in uiscere lucas
Tres erit; hunc blandis clementia proteget alis.
- Iustitia**
Quis tua Regnator superum decreta refutet?

⁸ *Correxi ex fata*

Aequa iubes et iniqua uetas. **Mis.** Clementia pectus
Diuinum miseris flectit pietate iuuandis. 1285

Oraculum

Ne qua tamen longi sanctis mora temporis obstet
Consiliis, regem loca foeta furentibus Austris
Linguere uentorum iubeo.

Scena septima**Aeolus, rex uentorum. Oraculum**

Loca foeta relinquo

Turbinibus, Deus, ut promptus tua iussa capessam.

Oraculum

Aeole (namque tibi uario cum sidere mundum 1290

Ornaui, et stellis prono obluctantibus orbi

Et mulcere dedi fluctus, et tollere uentis)

Sidonium uates temerans mea iussa per aequor

Nauigat, et Tharsis tendit fugitiuus in urbem.

Incute uim uentis ut tempestate carina 1295

Fluctuet, inque undas praeceps ruat ille. uoraci

Glutiet informis rictu Balaena cadentem. /29r/

Non tamen ira aliis noceat uectoribus Austri.

Admisso *Jonas* pendat pro crimine poenas.

I, pete stagna maris. **Aeol.** labor o Rex magne quid optas 1300

Explorare tuus; meus est tua iussa uereri.

Surgo Dei propere ueneranda ut iussa facessam.

Nimborum hic patria est; tumidos hoc carcere uentos

Contineo. Hinc condunt tenebrosum lumina caelum

Imbrifero quoties caligant sidera uelo 1305

Hinc etiam nubes Aquilonis dissipat aura

Vt sol flagrantem accendat lumine currus.

Iam uenti Hippotaden sensere. Coercita fraenis

Vis nisi luctandi premeretur, caerula ferret

Impetus et uiridis frondosa cacumina syluae. 1310

En indignantis magno cum murmure montis

Circum claustra fremunt; vae nautis! quanta per altum

Tempestas hodie laxabitur. Ira Tonantis

Flatibus Aeoliis totas effundit habenas.

Vae delinquenti! conuersa cuspide montem 1315

Impello in latus, ut Boreas et nubilus Auster

Qua data porta ruant, et pontum turbine perflent.

Scena octaua**Aeolus. Auster. Boreas. Africus**

Huc Auster, huc hybernus accedat fragor

Boreae proterui. **Aust.** En adsumus. Laxa mihi

Madidas habenas. Auferam terris diem. 1320

Boreas

Ego ut procella saeuior rauci maris
Incumbat undis, fronte collidam Notum.

Aeolus

Audite, geminis ante quam laxem datas
Manibus catenas. Fluctus imperio Dei
Agitandus est frementis impulsu aequoris. 1325

Vbi fluctuantis nauis intrarit salum /29v/
Tabulas,⁹ et onera nauta proiiciet metu
Mortis propinqua. Sortibus uates ubi
Ob scelus in altum fuerit eiectus mare
Cessate: poenis statuit hunc modum Deus. 1330

Africus

Quid Auster oris murmur inflati premis?
Cur aequor undis non tumet motis uagum?

Aeolus

Quid Auster alto frigidis buccis ages?

Auster

Adimam refusa nube purpureum iubar
Solis; tenebris occulam piceis polum. 1335
Caligo, pluuia, nimbus, et noctis comes
Horror, sequuntur turbidum a tergo Notum.
Ponto incubabit, atra nox dubio. Simul
Nimbosus aures feriet atque animum fragor.

Aeolus

Quid saeuienti turbine Borea paras? 1340

Boreas

Poli intonabunt ignibus crebris; niger
Aether micabit; fluctus attundet latus
Vt cumque nauis: mons aquarum maximus
Voluetur. **Afric.** Imis aequor affusum uadis 1345
Cumulos arenae ostendet. Ob oculos necis
Praesens imago errabit: incurrens meus
Franget gementem remigem, et remum impetus.

Aeolus

O quanta miseris imminent nautis mala
Itote. Fluctus tollite ad caelum maris.

Auster

Imus. Minaci fronte si Borea uelis 1350
Incurrere, orbis corruet fracto sono.

Boreas

Pugnare tecum capite conuerso libet.

Africus

Agite, inferamus impetum in pelagus grauem

Aeolus

Misi satellites Notum et Boream duos
Et personantem murmure hyberno Africum. 1355
Laesi Tonantis, intumescens freti
Motu furori seruiant. Noxa unius
Multis feret supplicia. Vae uae qui sibi
Iungit sodales criminis magni reos /30r/

⁹ *Correxi ex Fabulas*

Mecum uetabit perpetrata ob crimina 1360
 Poenae obligatos trabibus unius tegi
 Domus. Tonantis saepe neglecto impio
 Furor innocentes addit et uitae integrae.

Scena nona**Nauarchus, Dromus, nautae. Aeolus Rex. Ionas. Tiphys****Omnes**

Occidimus. **Tiph.** Vndas excipit nauis. **Drom.** Mare
 Rimis carinam iam fatiscentem occupat. 1365

Aeolus

Sidonii ad undas aequoris pergo. Trucem
 Nautae procellae sentiunt iam turbinem.

Omnes

Occidimus! undas haurit immensas ratis.

Scena decima**Naufragus. Limenarchus Ioppaeus****Omnes**

Immensas ratis.

Naufragus

O sors acerba, et dura nautarum! Mari
 Quid uectus alto fata commisi mea? 1370
 Tabulam hanc reliqui unicam casus mihi.

Limenarchus

Quid iste fert tumultus? Effari asperas
 Ne metue clades. Audiam aerumnas tuas.

Naufragus

Vocem dolori lingua trepidanti negat.

Limenarchus

Eloquere quae sors aggrauet uatem Dei 1375

Naufragus

Heu me propheta flebili letho occubat.

Limenarchus

Pro dolor! **Nauf.** Inundans uertice immenso fretum
 Subito tumultu tonuit ex alto. Minax
 Creuit procella. Sponte Titanem ferit.
 Consurgit ingens Pontus in cumulum. Ratis 1380

Orat magister immemor clui Deum.

Supplex precatur turba uectorum uiae

Felicitatem. Arcana sed trepidus Dei

Consilia refero. Ah magne dominator poli!

Limenarchus

Age fare: fletu turgidae genae madent. 1385

Fare expeditus dum sono cursus patet.

Naufragus

Eheu perurit intimus mentem dolor.

/30v/

Ob crimen aliquod credidit nautas ratis Poena magister integros uitae affici. Diuidere sortes per manus iubet. Polos Sideraque testor, testor et fluctus maris Sortes prophetam nuntiant Ionam reum.	1390
Limenarchus Pavidus per ossa funditur poenae timor.	
Naufragus Tunc ille culpae conscius ait, tollite Me, et mittite in mare. Fremitus uento incitae Cessabit undae. Sentiatur poenam nocens Non innocentes. Quid moror? Iactum uorat Balaena uatem. Simile nunquam uidimus Monstrum. Lim. Quis habitus corporis monstri fuit?	1395
Naufragus Erexit altam fronte uiridanti iubam. Oculi relucent caerulea gemini nota. Musco tenaci pectus et palea uiret. Fremuere nautas. Puppis e fastigio Latereque nauis unus aut alter cadit.	1400
Qui fluctuantem prendere haud possunt ratem. Ego huc natatu corpus exanimu appuli. Multo haec tabella iuuat afflictum salo.	1405
Limenarchus Eheu prophetae doleo Gethae uicem	
Naufragus Quid hoc? Procella, turbo, tempesta, Notus Caligo, pelagus, flatus et uortex minax Euanuerunt. Citius in pelagus lues Fuit illa iactanda. Lim. Impium ne dixeris Dei prophetam; huc ad penates naufragos Recrees ut artus paululum gressus moue. En flabra cessant. Aeolus uentos ligat.	1410 1415

Scena undecima

/31r/

Aeolus Rex. Auster. Africus. Boreas

Aeolus Quin ira cessat? Aust. Ira non satis mea Deferbuit. Afric. Per alta feriem sidera Terrasque tractusque maris et spatia aetheris Nisi me coerceres. Aeol. Sat est. Magni Dei Imperia praestitistis. Bor. Exprimat furor Adhuc. Aust. Catenas solueres utinam mihi!	1420
Africus Euellere ab radicibus flatu arbores Naves profundo mergere est studium mari.	
Aeolus Inflatis ora turbidi fratres adhuc. Quid ah arietantes sequitur immanis sonus?	1425

Boreas

Liceat proteruum tundere Austri uerticem.

Auster

Nimbosus atri flabra superabit Notus

Boreae refusus imbribus gelidum in caput.

Aeolus

Quae uos agit fiducia excusso iugo

Nostro rebelles? Murmura inuito Aeolo

1430

An facere uobis, tollere aut tantas licet

Moles? Quid ago? pelagi sed undas conciti

Sedare praestat. Supplicia nunc differam.

Matura in antra pergite Aeoliae fuga.

Boreas

Intremus antra. **Aust.** Montis en latus patet.

1435

Aeolus Rex

Feci imperata magne dominator tua.

Turbata uidi flamine Aeolio aequora.

Et uerberari caerulis scopulos aquis.

Haec imperaras. Iussa compleui tua.

Obtemperaret more uenti, et temporum

1440

Vtinam uoluntas caeca tibi mortalium.

Fallimur? an alta Misericordia est Dei?

Ipsa est: hominibus proditur uultu pio.

/31v/

Scena duodecima**Misericórdia. Aeolus. Ionas. Oraculum**

Niuea ut columba gemere cum foetus suos

Audit tenellos nidulum uisens cibos

1445

Pullis ministrat, sic ego mortalium

Collachrymantis moueor ad planctus soni

Laetam ministrans gaudii miseris opem.

Aeolus

Salue Tonantis uirgo propitii comes.

Misericordia

Quid Aeole? **Aeol.** Hactenus tumentis aequoris

1450

Fluctus repressi; tenebricoso carcere

Ventos reposui. **Mis.** Hebraeus est uates ubi?

Aeolus

Balaenae in utero. **Mis.** Viuus? **Aeol.** Effluxit dies

Ex quo sepultus uentre Balaenae latet.

Misericordia

Illi opitulari misericors animus parat.

1455

Obscura in antra perge uentorum, Aeole.

Aeolus

Pergo. Sequatur umbra me tamen tua.

Misericordia

Ah magna Niniue, magna, sed minor tuis
 Vitiis Tonantis fletibus pectus moue.
 Nunc uenia danda est simplicis culpa uiri. 1460
 Videre uellem paenitentis lacrymis
 Vultus madentes. Misericordiam hae uocant.

Jonas

O Misericordia! O Dei pietas mei.

Misericordia

Audio gementem. **Ion.** Propius accedas reo,
 Miserere Ionae. **Mis.** Propius accedo: preces 1465
 De uentre piscis funde. Vota nuncupa.

Oratio Ionae

/32r/

Jonas

Dum me tempestas, auidi dum uiscera piscis
 Exhaustum pressere malis, tua numina supplex
 O Deus oraui, nec me tua respuit ira.

Vt tamen ablueret commissa piacula Pontus, 1470
 Vorticibus rapidis absorbit unda cadentem
 Meque superfusis cumularunt aequora lymphis.
 Radices montis descendi pronus ad imas

Et uiuo tamen: hinc spes mihi surgit in arctis, 1475
 Hinc spero auxilium rebus. Mea uita manabit
 Te seruante, Deus. Nam cum uis saeua procellae
 Incubuit, tenebrisque dolor praecordia texit

Versabam memori sub pectore iussa Tonantis.

Misericordia

Placet ista, Iona, cognitio sceleris Deo,
 Sed uota mentis exprime, et quo sis doce 1480
 Animo ad iubentis obsequia deinceps Dei.

Jonas

O utinam ad nitidi ueniat penetralia coeli
 Vox mea! Qui trunci ludibria thure uaporant
 Admoniti exemplo mutabunt pectora nostro.

Virtutum ueris cedent insomnia dictis. 1485
 Quin et seruatae soluam pro munere uitae
 Vota tibi, stabitque tuas sacer agnus ad aras.

Misericordia

Accedo propius: ferre non possum moras.
 Balaena, cuius uiscere absorptus latet 1490
 Ionas, arenas euome in flauas uirum.
 Expone uatem littore in sicco meum.

I nunc in altum: condi te in stagno maris.
 Vt membra madidi corporis languent! Manus
 Tremunt; capilli defluunt; titubant pedes;

Cadaverosus tabet in facie color. 1495
 Loquere, loquere, Iona. **Ion.** Misericordem Deum
 Eheu nefando scelere laesi; uocibus

Quibus Tonantis ante conspectum loquar?

Misericordia

/32v/

Quibus alloquutus post scelus quondam est Deum Dauid gementi crimen accedit Deus	1500
Ex confitenti. Ion. Maestus ad genua accedo Et cernuus tua. Esto pereuntis precor Vatis leuamen. Mis. Misereor fletus Tui Doleo labores, doleo ploratus tuos.	
Cum flente deflet Misericordia et gemit Quoties gementes audit et tristes sonos.	1505
Ionas Vi paenitendi soluar o utinam in mare! Me taedet aerae, taedet et uitae, scelus Ob perpetratum: sic cruciat animum dolor.	
Misericordia Oculos madentes erige ad caelum, erige.	1510
Ionas Videre me sontem poli et stellae. Deus Vidit rebellem; dignus haud sum quem suis Resarciat oculis monte de sancto Deus.	
Misericordia Solare iam solare maestitiam. Deus Aderit benignus: supplices illi preces Profunde. Precibus aderit e caelo tuis.	1515

Oratio Ionae in littore Niniues

Ionas O Deus, o nostrae uindex aeterne salutis, Afflicti miserere mei. clementia miris Magna modis animi penetrabilia labe repurget Purius ut niteat corpus cocto ignibus auro.	1520
Namque meam infelix agnosco in pectore noxam Et culpae informis mihi semper oberrat imago. Ab blue flagitium, poenasque auerte. Benignum Sic ego te, pater alme, canam; tu uincula linguae Tu uocis mihi pande uiam. Tua facta per omnes Magna feram populos, addamque altaribus ignes.	1525
Oraculum Quid Iona aethereas lacrymosis questibus auras? Quid caelum et terram miseris plangoribus imples? Audiui gemitus, et singultantia uocis Murmura mutatae cum te balaena profundi Horrida praecipitem pelagi sub fluctibus hausit.	1530
Ionas Inclusus imo uentre cognoui ferae Benignitatis robur, et uires tuae. Iam ad obsequendum promptus est Ionas. Iube.	
Oraculum Surge age, diuinae Ionam constantia mentis Ire iubet Niniuen prope Sublimibus urbem Turribus imperio, et numeroso ciue superbam Ingredere, et uerbis intenta minacibus audax	1535

/33r/

Supplicia, in scelerum bacchantem expone furorem.

Jonas

Surgo. Tonantis imperia summi exequor,	1540	
Expertus iram numinis laesi Dei.		
Quicumque differt iussa, uel metus sequi		
Speret labores. Medicus ut sapiens uirum		
E sanitate mentis eiectum, prius		
Quam duriora tentet, humane solet	1545	
Tractare: uerum si furit clementia		
Nec blanda prosunt uerba, reuocat pristinum		
Saepe furiosum uerbere cruento in statum,		
Sic me fauoris aura diuini, Dei		
Sic me benigni Zephyrus affluit prius	1550	
Quam dura tolerarem fugae dispendia.		
Iam uela didici flectere humanae ratis;		
Iam doctus haustis mille resipui malis		
Cumulos arenae linquo littoreae. Gradus		/33v/
Accelero, ut urbem dextero ingrediar pede.	1555	

Chorus

Asclepiadaei uersus

Stat summi tabulis uox adamantinis		
Haec insculpta Dei. Sum Deus, ardui		
Sum caeli dominus; nec mea pectora		
Mutant instabilis foedera temporis.		
Inconstans animi nos mouet impetus	1560	
Mortis nos agitat dura necessitas.		
At decreta Dei, nec furor impius,		
Nec mortis iaculum, secla nec incitis		
Astrorum poterunt uertere uersibus.		
Decreuit Niniues ante superbiam	1565	
Deterrere Deus, quam rogos ureret		
Vltor cum populis tecta nefariis.		
Ergo fraude potens moenia machinis		
Quamuis dux Barathri muniat inferis;		
Nec fraudes Barathri moenia destruent,	1570	
Sanctum Luciferi nec fera toxica		
Ionam mortiferis haustibus imbuent.		
Moti terrificis iam maris aestubus		
Purgauit sceleris sordibus obsitum		
Vatem dextra Dei. Moenia lacrymis	1575	
Effusis eadem sparsa tuebitur.		
Armata in Niniuen agmina Tartari		
Difflabit stipulas ut Notus aridas.		

Actus Quartus

Scena prima

Praefectus atrii. Epaeus, Agathus, Gelasinus, pueri

Lux alma mundum purpurat rutila face.
Illustrat orbem solis aethereum iubar. 1580

Venturus est in atrium rex, aulica
Stipante turba more consueto latus
Vtrumque regis. Muneris nostri est locum
Parare. Pueri scamna non segnes suis
Statuite sedibus. Placet concinitas 1585
Genti supremae, mediae, et infimae loci.

Epaeus

Disposita in optimum sedilia ordinem
Iam sunt. **Praef.** Bene est. Huic muneri est factum satis
Verum calores ferre quis tantos queat?

Epaeus

En ad calentes solis arcendas faces 1590
Aestusque uires mitigandas maximi
Flabella manibus uentilo. **Praef.** Regi puer
Hic gratiosus flatibus motus erit.
Quid tu? **Agath.** Repellet lucis ardorem grauem
Ex indicis umbraculum allatum plagis 1595
Titana nemo tectus illo sentiet.

Praefectus

Capiti admouebis tegimen hoc regis, puer.
Tu quo placere principi dono paras?

Gelasinus

Sinus recondit, atque reticulum rosas;
Violas odoris miscui gratissimi. 1600
Vix has uoluptas hortulo inueniet suo.

Praefectus

Has ora regis ante disperges, ubi
Occasio admonuerit aut nutus frequens.
Sed ecce regem turba comitatur suum /34v/
Manete pueri. Me uocant negotia. 1605
Accedo propius munere ut fungar meo.

Scena secunda

Ophratanes Rex Niniues. Colax, Autophilus, purpurati. Praefectus atrii. Dorylus, . Gelasinus, puer.

Quis me beatior fruitur aura poli?
Quis alta coeli templa claro celsius
Aspectat ore? Cuncta cesserunt bene
Mihi semper uni. Vota fortunae mea 1610
Nunquam fefellit prosperae inconstantia

Vt unda pleno gurgite in pelagus uehit Fluctus perennes: ortus ut Titan faces Piceae flagrantes post moram noctis refert Sic uita lenem casta decursum mea Opes beatis opibus addit maximas.	1615	
Colax		
Quin dormienti quaerit aduigilans tibi Fortuna pacem: bella cum gentes parant Inimica, sedat ipsa belli turbines.		
Rex		
Mihi terra paret, paret hominum genus Ceruice flexa; Caelites habeant polum, Possum uocari iure terrarum Deus. Placet ergo terrae principi summo mihi Placet quietos ducere, et laetos dies Opibusque regni perfrui. Aut. O quantum bonum est Obstare nulli, capere securas dapes	1620 1625	 /35r/
Colax		
O regis alta consilia! Aut. Nunquam uetus Aetas parentum uidit assimilem ducem.		
Colax		
Superba Regum uita quotquot hactenus Vixere, nunquam splenduit simili omnium Rerum apparatu. Aut. Nempe cogitatio Non alta potuit humilis illorum assequi.	1630	
Rex		
Rex qui in stipendium profundit militum Pecuniam omnem, nescit imperio frui. Ille dominatur qui suis fruitur bonis	1635	
Autophilus		
Habemus illa quae edimus, quaeque hausimus. Caetera domorum quae parantur usibus, Ludibrio subiecta fortunae iacent.		
Colax		
Huc afferatur floribus niueis rosa Variata: recreet plurimus nares odor	1640	
Rex		
Arcere solis lumen accensum iuuat Non frondibus, sed indicis umbraculis Et dum uoluptas sensibus blanda affluit Symphoniam suauem lyrae, et uocis placet Audire. Aut. Fidibus personet uox congruens	1645	
Rex		
Grauia facessant, lepida potius audiam Grauia facessant, lepida nunc tantum sonent.		
Cantus		
Fruere dum licet aeuo Rex Nini lactanti spe Vitae diuturnae te. Te. Te.	1650	

Rex

Emerita uita post laborum turbines
 Merito quietem postulat. Niniuen regant
 Deinceps magistratus. Ades dum Oeconome ades.

Praefectus

Adsum minister promptus imperiis tuis
 Rex exequendis. **Rex** Ito praefectum uoca 1655
 Urbis. Tribunus plebis huc ueniat face. /35v/

Praefectus

Venient uocati mox. Magistratus Nini
 Voca magistratus puer. **Gel.** Venient statim.

Rex

Huc Doryle. **Dor.** Praesto sum. **Rex** puer scis Myrtilus
 Venerit ab alto nemore num iam meus? 1660

Dorylus

Cepisse multas audio laqueo feras.
 Venisse nondum scimus. **Rex** I. puer domum.
 Venationis principem nostrae uoca.
 Est nunc uolupte tendere insidias feris

Dorylus

Eo imperatis obsequens domum tuis. 1665

Rex

An orbis ullum ditiozem me ducem
 Habuit? Potestas maior in terris mea
 Fuitne Regi? Num uoluptas mitius
 Affluxit aliis saeculis quam nunc meis.

Colax

Non orbis ullum ditiozem te ducem 1670
 Habuit. Potestas maior in terris tua
 Nunquam fuit, felicitas nec mitior.
 Miser olim in auri copia Croesus fuit
 Midasque stultus. **Aut.** Nempe diuitiis frui.

Qui nescit, inter fercula emoritur fame 1675
 Interque lymphas Tantalii exemplo sitit.
 Sed ecce properat sedulus Regis puer.

Scena tertia

Praefectus atrii. Rex. Laosthenes. Praefectus urbis. Zames, tribunus plebis. Colax, Autophilus, purpurati. Cerix, praeco

Adsunt magistratus. **Rex** face huc ueniant. **Praef.** Patet
 Aditus. **Laost.** Vocatu, Magne Rex, motus tuo 1680
 Adsum. Iubere Regis est, nostrum tuis
 Parere iussis. **Rex** surgite ex humili loco.

Mihi sessitantes commodas aures date.
 Laetis ut animus gaudiis noster uacet. /36r/

Vos nunc potiri gloria hac tanta uolo.
 Accipite Regis pondus Assyrii graue 1685
 Et praemolestum: uertici impono libens

Vestro, imperando quidquid est oneris mihi
 Dono, remitto, laxo curas imperi

Laosthenes

Dii paria cuncti dona pro tantis tibi
 Donis rependant. **Zam.** Regis amplexo pedes 1690
 Venerabor aras thure odorifero tuas,
 Rex magne; templis statua condetur tua.
 Qui magna tribuit dona munifica manu
 Non ille regis, sed Dei uices gerit.

Rex

Inter regendum uos benignos, utiles 1695
 Facilesque uellem; iuris exacti improbam
 Seueritatem fugite, lenitas placet
 Regi, clienti, nobili atque humili uiro.

Zames

Summum esse ius, iniuriam summam scio
 Ad lenitatem est iuris asperitas mihi 1700
 Reuocanda. **Laost.** Numquid melius indulgentia
 Veniaque scelera, quam flagris Niniues putas
 Frenanda? **Zam.** Quidni? **Rex** uelle satis est principem
 Frenare populum legibus placidis suum
 Vt prosit indulgentiae exhibitae fauor. 1705

Laosthenes

Quis diffiteri quod placet regi queat?
 Verum senectus pondere incuruat suo
 Mea membra. Fesso portus est dandus seni.

Rex

Dabo, otiosum sequere me Laosthenes
 Num sonitus ille est fistulae uenaticae? 1710

Scena quarta

Dorylus, puer. Myrtilus, Regis filius. Osphratanes Rex. Colax et Zames, magistratus.

Dorylus puer

Venationis regiae princeps adest /36v/
 Laetus ferarum caede, prostratos lupos
 Aprosqe memorat. Dominus huc pariter meus
 O Rex, uirenti laetus a saltu uenit.

Myrtilus

Salue Syrii gloria regni; 1715
 Salue nati decus omne tui

Rex

Quid nate iugo, dic age patri,
 Gesseris alto caede ferarum

Myrtilus

Vallibus unda liquida currens
 Verberat amnis scrupea saxa. 1720
 Caepi canos niue brumali
 Scandere colles: inde recedens
 Qua prata iacent; qua leuis aura

Zephyri uernas euocat herbas Pictas cepi casse uolucres. Ducta rubenti linea pinna Solito implicuit terrore feras. Rex Incendit animum prospera et felix meum Tua, nate mi, uenatio. Myrt. Inuitat dies. Rex Pecoris notasti num antra, Thereute, feri? Thereutus Multos recessu nemoris in uasto greges Vidi luporum: plurimae damae cauis In uallibus pascuntur; hinc ceruus fugax Illinc minaci dente se uoluunt apri Myrtilus Sum testis ipse. Plurimas uidi feras Rex Age uenator cane syluosos Latrante iube cingere saltus. Thereutus Munere fungor. Fistula resonet. Tu praecipites subsessor ages Clamore feras. Tu graue dextra Laeuaque simul dirige lato Robora ferro. Tu spartanos Rege latratus: nunc demissi Captent auras nare Molossi; Mox reboatu concaua multo Saxa sonabunt. Iam signa canes Dant arguti; personet antris Fistula comitis inflata cauis. Rex In nemora laetus et mei compos uocor Praefectus urbis esto regalis Colax Zames Tribunus te sequatur: regia ad nemora propero, gaudia ut capiam noua Relinque habenas imperi, ut me ipso fruam. Colax Miranda regis liberalitas. Meis Hodie rependit gratiam magnam artibus. Parasitus illi gratus et lepidus fui. Donauit urbem. Non sat est urbem. Nini Me praesidem creauit. o superi! o Nini Ciues! Dinastas quos habetis! Zam. Accubent Somno sepulti principes, medii, infimi Furentur, auehant in aedes commoda Aliena ciues: ensibus transuerberent Corpus cruentis. Regis id uotum iubet. Colax Peccare ciues Regis imperium iubet. Zames	1725	
	1730	
	1735	
	1740	
	1745	/37r/
	1750	
	1755	
	1760	

Qui non uetat peccare cum possit, iubet.

1765

Scena quinta

Jonas propheta. Colax, praefectus urbis. Zames, tribunus. Cerix, praeco.

Jonas

Quadraginta dies Niniues cladem ante supersunt.

Colax

Quid audio? **Zam.** Clamantis audio murmur uiri.

Jonas

Quadraginta dies Niniues cladem ante supersunt.

Colax

Nescio quid ille clamor horrendum indicat.

Jonas

Discite qui Niniuen frenatis, discite uestrae

1770

Fata urbis, dominique uerendum agnoscite numen.

Colax

Quis iste mentis subitus, o hospes, furor?

Quid uoce turbas urbis attonitae statum?

/37v/

Quis cultus hic est corporis limo obsiti?

Age, fare; causam uocis horridae doce.

1775

Jonas

Audite o proceres, animosque huc uertite uestros.

Mira canam, sed amara canam. Sum sanguinis Hebri

Progenies, Ionasque uocor. Veneranda Tonantis

Iussa sequor: caeli obseruant mea pectora numen.

Stelliferi dominus mundi qui sidera torquet

1780

Quemque tremat gemino suffultum cardine caelum

Me mouet. Illius si nunquam uocibus aure

Auersus surda obstarem felicius essem.

Me Deus, ut Niniues opibus, sceptroque superbae

Fata renarrarem Samariae huc misit ab urbe.

1785

Heu quid ago? nauem conscendo oblitus in altum.

Iam ratis optato sinuabat carbasa uento.

Ecce furor domini me tempestate nocentem

Arguit. In pelagus iactor, uorat ore cadentem

Me piscis. Nitidum ter luce retexerat orbem

1790

Phaebus, ter caelum nox humida texerat umbris,

Et me monstriferi gestabant uiscera Ceti.

Affusi uitreus circundedit alueus amnis

Meque super tumidus cumulis stetit undique gurgis.

Tunc dixi: miserere precor pater optime, flentis

1795

Aerumnasque uide miserandi ex aethere uatis.

Diuinas postquam supplex uox impulit aures,

O pietas! O larga Dei indulgentia! Iussu

Limosum tremefacta Dei fera bellua Ionam

Exposuit Niniues in litore. Credite ciues

1800

Credite. Uestis adhuc olet ista linquentia regna.

Vix sale tabentes in arena fouerat artus

Blanda quies. Deus ecce Deus sic fatur: In urbem

I, Niniuen Iona, ut populus mea iussa pauescat.

Colax

Non dubito tantum posse, si uelit, Deum 1805
Afferre damnum uel salutem gentibus.

Zames

Expone uates iussa Niniuitis Dei.

In uentre namque piscis expertus flagra /38r/
Nuper Tonantis sceleris admissi ob nefas,

Ut dictitas et uestis humens indicat, 1810
Facile probabis ciuibus quicquid uelis.

Jonas

Ille tenebrosis qui nubibus occultit aethram

Et iacit in terras lapidosae grandinis imbrem

Ille coruscantes nimborum in nocte sagittas

Qui rotat, et glauco canentia caerulea fluctu; 1815

Ille faces nitidi rutilo qui lumine solis

Et uarios Phaebes accendit in aethere uultus,

Ille iubet Ionam affectata silentia uoce

Rumpere. Non ex me uerba assentantia quisquam

Audiet: interitus praenuntia uerba futuri 1820

Audite. Excidio Niniue miseranda peribit.

Flamma quater denos ubi solis lucida mundo

Rettulerit mane orta dies, euersa iacebunt

Moenia, foedabunt inhumata cadauera terram.

Colax

Hocce futurum caelitus monuit Deus? 1825

Jonas

Ne dubites: caelo uox reddita fertur ad auras.

Quadraginta dies Niniues cladem ante supersunt.

Discedo ut tonitru similis mandata facessam.

Quadraginta dies Niniues cladem ante supersunt.

Zames

Horrore quator, animus interius labat 1830

Formidine: infixit sonus stimulos uiri

Menti. Quid ille uultus et habitus? Tonans

Quid ille sermo? Quid minae? Quid turbidus

Ille indicabat spiritus? Phaebus refert

Alios colores ore lymphato. Refert 1835

Rabiem: nec illa dignitate nuntiat

Euenta. Nostri cursibus stellae Magi

Vicibusque lunae solis et nitidi rota

Dubia reguntur. Huius in facie uiri

Est amplitudo, dignitas et gratia. 1840

In ore ueritas. Dubitet an illi fidem

Habere quisquam? Nuntiat uoces Dei,

Et quas in urbem uidit intentas faces

Ad punienda scelera. **Col.** Si minas Deus /38v/

Has nuntiarum somnolentae urbi iubet 1845

Turpique faece criminum plebi obrutae,

Vrbs expiare paenitendo crimina

Potest profana. Sed scelus si sulphure

Atque sceleratos plectere instituit Deus
Opus est, ut urbis pereat, et gentis decus 1850
Decreta nunquam mutat, aut flectit Deus.

Zames

Nostrum est mederi cladibus; nostrum est modum
Praescribere aliis numen orandi. Deus
Cuius tremiscit hospes hic nutus, mihi
Facilis uidetur et benignus. Vértice 1855
Afflixit ille fluctuum nauem, illius

In qua propheta profugus ibat. Exequi
Mandata cum differret, immanis fera
Pelagi uorauit spumei sontem. Dei
Tamen ille piscis mersus in uentris situ 1860
Memor inuocauit ingemens opem sui.

Iuuere sontem, ut dicitat, fusae preces.
Discamus a praecone flectendi modum
Iram Tonantis: plectit et parcit Deus.
Illi irrogauit supplicia. Veniam dedit. 1865

Colax

Domini pererrat ossa iam timor mea.
Praeconis ergo ualida uox denuntiet
Ieiunia, indicatur et mutatio
Vestis olidae, et croco illitae, in caeno obsitam.
Miseranda facies urbis inclinet Dei 1870
Pietatis et clementiae ad studium minas.

Zames

Adire regem nunquid est opus prius?

Colax

Minime tribunal regis obseruet cliens
Humana cum contentio, aut lis nascitur.
Cum de salute, sceleris aut uenia incidit 1875
Sermo, uoluntas libero nixu pia
Placare rite numen iratum potest.
Regum et clientes regere, pectus Dei

Zames

Age praeco ualida uoce paenitentiam
Vbique praedica. Magistratus iubent. 1880

Praeco

/39r/

Qui regit imperio Niniuen, qui temperat urbem
Lege Magistratus, audite o mentibus aequis
Ille iubet iuuenes, pueros, canamque senectam
Maioresque uiros natu, inuptasque puellas
Marcida deposito ieiunia ducere uictu. 1885

Scena sexta

Polites, Miaenus, ciues. Colax, praefectus urbis. Zames, tribunus plebis.

Polites

Quis ille ciues clamor? **Miae.** An aliquid noui ?

Praeco

Vtque magis placeant epulis tenuata remotis
Membra Deo, Cilicum uilloso tegmine corpus
Induite; Oebalio subeat pro murice saccus.

Colax

Spargantur ora puluere, effusas manus 1890
Vi paenitendi diuidat uestes. Cilix
Et Lingonum gens conferat lanas mihi.

Polites

Flentes supinas eia tollamus manus
Ad astra ciues. **Miae.** Turpis obuoluat cinis
Succis madentes antea Arabicis comas. 1895

Zames

O patria! Nunquid ultio aequabit solo
Tua celsa propugnacula, et muros tuos?

Polites

Nisi lacrymarum fluuius, et planctus Deum
Moueant frementem, pergama ad terram cadent.

Colax

Non ego cantus sed miser planctus sonet. 1900

Miaenus

O Caelites! **Pol.** O Caelites! **Col.** O arbiter
Mundi! **Zam.** O supremae curiae princeps Deus
Miseresce. **Pol.** Fallor? an uideo regem? **Miae.** Vides
Ipse est. **Col.** Timoris errat in uultu nota.

Scena septima

Orphratanes rex. Colax, praefectus urbis. Zames.

Polites, Miaenus, ciues. Ionas. Ceryx, praeco /39v/

Rex

Est rebus aliquod numen in caelo omnibus 1905
Quod iura sancit. Est poli rector Deus,
Deus est superbae qui scelus uitae improbat
Et continentes principum mores probat.

Viure uolebam criminum in caeno: otio
Diffluere. Curis omnibus positis domi 1910

Tranquillus eram, cum repente uindices
Ex ore uatis audii Hebraei minas.
Placare oportet caelitem ieiuniis
Regem tremendum, fundere et castas preces.

Sic statuo. Vestra quid patres sententia 1915
Sancit, madenti cerno quos flentes gena?

Colax

Audiuimus praenuntias trepidi mali
Voces futuri: indiximus ieiunium
Cinereque maestum sparsimus multo caput.

Rex

In paenitendo Regis exemplum sui 1920

Capiant clientes. Hospitem, Zame, uoca
 Voca huc minantem, cominus uoces placet
 Audire. **Zam.** Veniet protinus mecum. **Rex** mane.

Ionas

Quadraginta dies Niniues cladem ante supersunt.

Rex

Audio sonantem murmure ingenti uirum. 1925

Ionas

Rex, populi qui frena tenes, qui lance iuberis
 Iustitiae a domino, nisi deuius imperet error,
 Monstra coercere, et uitiorum euellere fibras,
 Huc ades. E caelo Deus orbem aspexit, et urbem
 Quam regis. Assyriae petulanti accensa furore 1930
 Luxuries en sceptrum tenet. Volat urbe libido,
 Virtutis decus omne iacet. Iubet ergo nocentes
 Sollicitare minis Vindex Deus aethere ciues.

Rex

Quid orbis imperator aetherei iubet?

Ionas

Rex audi; proceres et turbae audite minores: 1935
 Clara recensuerint ubi luces cursibus aequis /40r/
 Astra quaterdenas urbs subuertetur: in ignes
 Fortia sulphureos monimenta incensa fatiscunt.

Rex

Accede uates: forsitan ieiunium
 Adhuc litare numini offenso potest. 1940
 Praescribe ritum quo litare oporteat.

Ionas

Videris ipse. alio propero: mora libera Ionae
 Non est ulla. Omnem impleri clamoribus urbem
 Est animus. Didici diuina facessere iussa
 Quadraginta dies Niniues cladem ante supersunt. 1945

Rex

Quid anime torpes? Segnis est omnis mora
 Adeste famuli; pessimo exemplo meis
 Nocui clientibus. Libido regia
 Incestat urbem, luxus infamat, sopor 1950
 Ligat sopore. Trahitur ad populum nefas
 Regis minorem. Sequitur ut fontem alueus
 Fluuii perennis, sic ducem populus suum.

Rex excitatur, regna turbantur: iacent
 Gladii minaces, cum furor regis iacet.
 Nitescit orbis regis exemplo boni, 1955
 Idem inquinatur regis exemplo Mali.

Peccasse fateor me, fateor inquam, mei
 Discant clientes confiteri crimina.
 Solium reliqui, regiam liqui domum

Vt quando Niniue regis imitata est scelus, 1960
 Regis imitetur uersa poenitentiam.

Huc tu Polite. **Pol.** Adsum. **Rex** recuso turgidos

Fastus superbi regis, hac ueste exue Regale corpus. Pol. Exuam quando iubes. Rex		
Miaene, uestem praepara hirsutam mihi. Miaenus	1965	
Rem inusitatam, et seculis nostris nouam Aggrederis, inclyte, et supreme principum. Rex		
Inusitata poena Niniuitas manet. Non me supremum dum fleo regem uoca. Est maior ille scelera qui punit mea. Miaenus	1970	/40v/
En saccus. Rex horret corpus hoc uestis genus Nempe assuetum sericis et mollibus Lanis, pauescit horridos uillos. Scelus Vellem timeres, Corpus inimicum Deo. Miaenus		
Quid agimus? Omnes regis exemplo cutem Vili tegamus ueste. Spargamus caput Puluere. Rex sedere in cinere immundo uolo. Solum facessat. Sit mihi solium cinis. Polites	1975	
Sedeamus omnes puluere oppleti. Miae. Placet Solum imitari regis, et saccum asperum. Rex	1980	
Audite regni principes nostri. Deus Cladem minatur criminum ultricem Nino. Consensione regis, et uestra Ninos A fraude ueteri mutet incessos uagos Faciemque mutet, uertat in planctum lyras. Polites	1985	
Vt uultus inter arma miseranda hosticum Pectus rebelli parcat ut genti, mouet: Vrbisque luctuosa facies elicit Veniam a repugnante ut truci interdum duce Lacrymae mouebunt forsitan Niniues Deum. Rex	1990	
Zame sonora uoce praeconis statim Inusitatam et urbibus Syriae nouam Fac nuntiari paenitentiam. Dei Animos acutis pungat ut stimulis metus Zames		
Huc praeco. Praeco Praesto sum. Zam. Sono ingenti omnibus Ex ore regis ciuibus ieiunium Mutoque pecori nuntia et saccum. Deum Populus precetur; deserant cuncti uias Scelerum priores: absit a manibus nefas.	1995	
Praeco Rex iubet Assyriae magnus, Niniuesque senatus, Audite, o ciues. Homines, iumenta, bouesque	2000	

Et pecora abstineant: non dulcia pabula gustent,
Tegmine pro syrio subeat zona aspera corpus
Nam Deus ad miseros flectit sacra pectora luctus.

/41r/

Rex

Seruare, proceres regis edictum meos 2005
Cogite clientes. Gaudiis gemitus dehinc
Succedat. Vrbi forsitan parcat Deus.
Ipse ad penates regios refero gradus.

Colax

Dominator aulae quisquis est caeli potens
Miserere regis et clientum pectora 2010
Pulsata, pulsent pectus o Deus tuum.

Scena octaua**Limottus, Dipsius, pueri. Colax, Zames, magistratus**

Faciemne Dipsi tabidam macie uides?
Tenera pererrat membra crudelis fames.

Dipsius

Limotte, fauces angit arentes sitis.
Foret haustus undae fluminis regnum mihi. 2015

Colax

Quis fletus iste uester, o pueri? **Limot.** Patrem
Frustum rogavi panis ut daret mihi
Et noluit. Membra mea cruciantur fame.
Vos si qua pietas pectus humanum mouet
Ne moriar aliquid ferculi infanti date. 2020

Zames

Vix ferre lacrymas animus infantum ualet.
Formose lacrymas siste manantes prius.
Deus aderit ploratibus. **Dip.** Sitis enecat
Me magna. Morior, morior. O ciues date
Date quaeso fluminis uel haustum: en en sitis 2025
Urit medullas; amphoras celat pater.

Colax

O Deus! In urbe nunquid hac pariter mori
Hunc innocentum sontibus mistum gregem
Patiere? **Limot.** Patres, o patres nos cernite.
Sic diuites in nobili familia 2030
Sitis diu precamur, et quam plurimis
Sic uestra semper floreat natis domus.
Date frusta panis. **Col.** Petite panes a Deo.

Limottus

Buccella saltem porrigatur, ne foras
Saliant ocelli. **Col.** Regis edictum uetat. 2035

Dipsius

Iubet ergo pueros regis edictum mori.

Zames

Durate. Postea dabo¹⁰ cibi affatim.

¹⁰ *Correxi ex dabim*

Dipsius

/41v/

Sedare saltem liceat in fluuio sitim.

Colax

Itote pueri. Voce plorantes Deum

Orate parcat. Illius benignitas

2040

Forte innocentes audiet propior preces.

Limottus

Miseresce caeli rector, et mundi arbiter,

Miseresce pueros, ne famis rabies necet.

Dipsius

Miseresce patriae, genitor o rerum Deus,

Miseresce patriae. **Col.** Nunquid aspectum notas,

2045

Zame, senatus plebis et regis? **Zam.** Ninos

Non est Ninos: mutauit omnem numinis

Interminatio urbis, et populi statum,

Moresque, seculum ut rear nunc aureum

Vigere, ferrei exulat secli nefas

2050

Habitatque castas sanctitas uitae domos.

Scena nona**Nineas, Praefectus atrii, Colax, Zames, magistratus**

O grauia Niniues fata miseranda, horrida

Quid tam ferum, tam triste, praeteritis Nini

Urbs uidit annis? Quid prius referens gemam?

Colax

Quoscumque luctus fleueris flebis Tui

2055

Lamenta regis. **Nineas** Hinc domus repetens Lares

Secretiores Rex profusis lacrymis

Suspexit astra lucida, ut capitis minor,

Solum superbum diruit, multus stetit

Per ora puluis madida, sudor squalidus

2060

Faciem occupauit. **Col.** Perge, refer ex ordine.**Nineas**

Voluit minister famulus illi fercula

Apponere, ut solebat, in mensis: aquam

Infundere manibus: olidae flores rosae

Spargere. Seuera repulit, ut scelus, manu

2065

Omnem apparatus regiae mensae. "Cinis

Mihi, inquit, iste ferculum est : hae lacrymae".

Per ora namque salsus undabat liquor

Potus. Recedant carmina, taceant lyrae

Luxus recedat: luctus afflictum decet

2070

/42r/

Animum perennis. **Zam.** Heu quid immoror miser?

Cur dextra cessas? Pectori ictus incute.

Regis probasti uitia, uirtutem approba.

Nineas

Vos ille, plebem et principes regni uocat.

Colax

Eamus. Ire est satius ad luctus domum

2075

Quam ad ferculis et cantibus laetam nimis.

Scena decima

Ionas propheta. Oraculum

Legationis functus officio, fidem
 Sane obstupesco regis, et populi, Dei
 Habitam prophetae: paenitentiae sui
 Sequuntur omnes regis exemplum: scelus 2080
 Luctu expiatur, flectitur gemitu Deus,
 Qui blandus in quacumque peccator die
 Deplorat, aspri uerbera abscondit flagri.
 Quid igitur urbi cui minatus sum, accidet?
 Clade obruetur? Misericordiae, o Deus. 2085
 Vis magna mentem¹¹ uatis afflictae tui.
 Timeo ne poenam differas, timeo meae
 Patriae ruinam hinc inferendam. Exaestuatur
 Cor intus ira. Sed timere quid opus est?
 Aures benignus applicat flenti Deus 2090
 Et condolenti grauius urbi condolet.
 Mutata civitas Dei sententiam
 Mutare praeconi ad Misericordiam potest.
 Premit ira maestum pectus, et me strangulat.
 Scio praeter ipsam nominis Ionae notam 2095
 Quod falsitatis crimen asperget, scio
 Heu scio Tyrannos occupaturos Nini
 Agros suchoti olim, et Palaestinas domos.
 Captiua pubes gentis Hebraeae, iugum
 Seruile patietur, preces sed supplices 2100
 Fundo ante faciem cuncta cernentis Dei.

Oratio Ionae

/42v/

Audi sancte pater querulae suspiria mentis
 Et lassata tui singultibus ora prophetae.
 Nonne Palaestinos premerent uestigia campos
 Cum mea, praesago cognoui pectore dandam 2105
 Hanc Niniuae ueniam? Hoc metuens a finibus exul
 Trans pelagus patriis fugiebam ad litora Tharsis.
 Ecquis enim ignoret quam sit tibi prona uoluntas
 Ad ueniam, cum corda pauor mortalia tangit
 Prosiliensque oculis scelus eluit unda cruentis. 2110
 Quod superest hanc tolle animam. Properata gementem
 Me, Deus, occidat subitae uiolentia mortis.
 ferre puto satius, quam uitae incommoda, mortem.

Oraculum

¹¹ *correxi ex mentis*

Audiui ex adytis gemitus flammantis Olympi
 Et querulis placidas aduerti uocibus aures. 2115
 Nequicquam¹² gemitus, et inania murmura fundis
 Pectore turbato, nequicquam uoce laccessis
 Astra. Putasne tui bene saeuat ira furoris?
 Num praescripta mei rata foederis, irrita demum
 Esse putas, cum sensa hominum mea facta refutent? 2120
 I, uates; euenta meum fatalia nutum
 Urbis, ut immenso quicquid fit in orbe, sequentur.

Jonas

Non dubito quin auerterit poenas Deus
 A ciuitate uindices, uerum iuuat
 Ascendere impendentis ad montis iugum 2125
 Niniuae, quod Eos mane resplendens face
 Rutilante primo lumine accendit, suum
 Rebus colorem diuidens. Omnem uolo
 Loco e remoto prospicere rerum exitum.
 Si poenitentes terra non condant specu 2130
 Vasta dehiscens; flammei si gurgitis
 Torrens uorago non uorabit omnia; /43r/
 Saltem minori punientur uiri
 Poena nocentes. Veluti in Horebi iugo
 Cum lucidi ante imaginem bouis, Dei 2135
 Imago sese strauit; et ritu numinis
 Simulacra tauri coluit ingrata, immemor
 Partae salutis urbibus Niloticis
 Ergo nocentes ira iusta perdere
 Ibat, Tonanti ni Deo charum caput 2140
 Pro gente Moses obtulisset, et prece
 Frenasset iram. Non tamen poenas manus
 Omnes repressit numinis laesi: graui
 Sunt caesa ferro millia hominum plurima.
 Ascendo. Scopuli umbraculum praebent; comae 2145
 Hederae uirentes solis ardorem fugant.
 Valete populi, quandiu expulerit faces
 Frondosa sylua solis aestiui. Deum
 Hederae parasse amoenitatem hanc arbitror.
 Laetare, Iona. Umbraculo solis, minus 2150
 Dolet ardore conflagrans dudum caput.

Chorus Niniuitarum**Gliconii uersus**

Reges qui diademate
 Frontem cingitis aureo,
 Exemplo Syriae ducis

¹² *correx* ex Nec quicquam

Aurem discite credulam	2155	
Rebus non dare prosperis.		
Et tu quae sequeris tui		
Plebs uestigia principis		
Fletus aspice principis		
Fletus aspice ciuium.	2160	
Nunquam saeua tonitrua		
Nec Plutonis hiantia		
Sternent guttura fraudibus		/43v/
Vrbem quae redimit nefas		
Sacco, puluere, fletibus.	2165	
Quid fastigia montium		
Iona scandis in ardua?		
Non cernes populos Nini		
Haustos ore uoraginis.		
Cernes undique gaudii	2170	
Laetos munere principes.		
Ergo gens hominum time		
Laesi fulmina numinis.		
Caelesti pavidas beat		
Mentes laetitia Deus.	2175	

Actus quintus**Scena prima****Angelus custos Niniues**

Ego ciuitatis Angelus custos Nini
 Ionam prophetam mittor ut detorqueam
 A mente qua desiderat Niniues malo
 Veri prophetae nomen. Accedo prope.
 Caeci tenebras pectoris pellam leui 2180
 Poena usus omnes. Simplicem poena Deus
 Hominem leui coercet, at uaftrum graui
 Aurora nitidum rosea Coelum purpurat
 Solisque rutilas subuehunt flammam equi.
 Vermis uirentem caudicem et frondes uoret, 2185
 Arescat hedera protinus. Tu sol face
 Flagrante nudam uerbera frontem uiri.
 Nec uero Zephyri lenis afflet spiritus.
 Vrens calentes euomat uentus rogos.
 Clementis approbabit infortunio 2190 /44r/
 Benignitatem edoctus hoc Ionas Dei
 Ad alta molior numinis gressum atria.

Jonas

Sopitus alto susciter somno. Die
 Claescent. Orbem lustrat aethereum iubar.
 Quid est? Quid hoc est? Hedera tam subito aruit? 2195
 Non umbra rupis arcet, aut fruticis coma
 Radios flagrantem. Heu miser uates miser
 Miser inter omnes filios mortalium!
 Morere, morere Iona, morere? Quid spiritus
 Adhuc dolentes animat artus tenax? 2200
 Quid anime uinclis tandiu haeres corporis?
 Disrumpe cunctas mortis, et uitae moras.
 Praeter ruinam gentis Hebraeae, urbibus
 Quam Assyrius¹³ olim sospes a poena feret
 Quam nuntiaui uentus, et uermis mihi 2205
 Radiis solis flammei damnus inferunt.
 O mors leuamen pectori maesto unicum!
 O mors laborum meta, quid miseros fugis?
 Egredere mens e corpore. Melius est mihi
 Mortem experiri, damna quam uitae pati. 2210

Oraculum

Huc uates Ophirae oculos, huc pectora uerte
 An te uulnificus dolor exedet usque iacentem
 Inque tuis recalens bacchabitur ira medullis?
 Num iusta interitum petis inflammatus ab ira?

Jonas

¹³ *Correxi ex. Assurus*

Merito medullas concoquit dolor meas.	2215	
Lassata crebris uita gemitibus, dies Huius molestos plangit exilii. Bene Irascor usque mortis ad tempus meae.		
Oraculum		/44v/
Tu cuius non aequa ¹⁴ regit clementia pectus Sed mouet ut tumidum pelagus grauis unda furoris	2220	
Siccatae quereris uiridis dispendia frondis Et folii damnum, quod non tua dextera seuit Non labor aethereas in luminis extulit auras. Nox dedit una hederas, hederas nox abstulit una.		
Ast ego mortales, cuius clementia blando Complexu diuina fouet, uelut anxia nido	2225	
Inplumes ¹⁵ uolucris pennarum ¹⁶ tegmine foetus Non parcam Niniues miserandae ciuibus? In qua Sunt hominum plus quam uiginti millia centum Qui laeuum dextrumque inter discrimina callem	2230	
Ignorant, caecaque feruntur in omnia mente? ¹⁷ Quid pueris faciam lactentibus? Anne fauilla Insontes pueros, pecudumque armenta uorabit? Non exempla meum molitur talia pectus.		
Jonas		
Agnosco sacri pectoris Clementiam	2235	
Agnosco Niniues ciuibus iam percitam; ¹⁸ Agnosco mentis turbidum nefas meae. Edoctus irae parcere insanae, tuis Submitto sanctis subditus monitis caput.		
Oraculum		
Pone modum lacrymis uates Ophirae profusis	2240	
Pone modum lacrymis: terram pete laetus opimam. I, pete Getheos, pete noto calle penates. En ego longinqui geminos tibi tramitis addo Aligeros comites, supera arce uolatile uulgus.		
Hos sequere, hos fragilis socios complectere uitae. Qui, tua ne titubent uestigia, saxa repellent Perque uiam placidis hilarabunt pectora dictis.	2245	
Scena secunda		
Jonas propheta. Cassiel, Zaciel, Angeli		
O larga domini dexteræ indulgentia! Supplicia possem iure ob iniustum pati Ignem furoris. Ille sed bonus parens De iure summo Misericordiae memor Multum remittit. Video sed comites uiae.	2250	/45r/

¹⁴ *Correxī ex aequat*¹⁵ *correxī ex in plumas*¹⁶ *correxī ex poenarum*¹⁷ *correxī ex mentem*¹⁸ *Correxī ex parcitam*

Zaciel

Salue, propheta chare caelesti patri.

Ionas

Excipio pronus nuntios magni Dei
Lubensque ueneror. **Cass.** Esto post fluctus graues 2255

Turbationum mente tranquilla Notus
Flatu refundit aere obscuro nigras
Nubes, potenti dissipat quas frigidus
Aquila reflatu. Sequitur hyemem florida
Veris serenitas, dies noctem excipit. 2260

Ionas

Procul hinc dolores: triste iam superest nihil
Nihil est molestum: subuehor manibus Dei.

Zaciel

Mandauit ille fratribus natis polo
Vt te per omnes ducerent tutum uias.

Ionas

Quas ego rependam gratias inops Deo? 2265

Zaciel

Quas grata mens rependere benefico potest
Placidoque patri. Gratiarum sed seges
Habenda crescit. O Dei si munera
Tibi nota, uates, si pium pectus foret!

Ionas

Praedictione, si licet, me seculi 2270
Quaeso futuri subleuate tabidum.

Zaciel

Cum Deus humana Solymos sub imagine patres
Caeperit eloquio uitae melioris amore
Inflammare. Dei mira indulgentia! Coetus
Sic iusta accensus sontes affabatur ira: 2275

Cum mare, cum tellus flammabitur igne, Deusque
Censor erit scelerum; Niniue uos arguet. Illa
Attentam Ioniae clamanti praebuit aurem.
At Solyma aetherei certissima pignora patris
Coram habet, et Ionam Niniues qui misit in urbem 2280
Nec tamen ad monitus dociles accommodat aures.

Idcirco Niniue cum crimina rector Olympi
Expendet iudex in tecta sionia surget . /45v/

Ionas

O pondus istis quale diuinis inest.
Verbis! Mouebunt saxeum pectus, licet 2285
Obstet reluctans. Nomen hinc erit meum
Dulcius in ore dum Deo fundam preces.

Cassiel

Maiora uates gaudia e caelo cape.
Princeps ille Deus uitae documenta beatae
Cum dabit Abramidis, plebs obstupefacta silebit. 2290
Tunc Heros Hebri sic arguet ore nepotes:
‘Signa petis; non signa tamen stirps dura uidebis
Exoptata. Dabo Ioniae tibi signa prophetae.

Quippe uelut Ionas postquam tres uiscere ceti
 Delituit luces, limosum corpus, et alga 2295
 Obsita membra gerens Niniuitis credita cladis
 Signa dedit, pura sic quondam uirgine natus
 Signa dabit: tumulo luces noctesque iacebit
 Tres nigro exanimis, tum mortua membra refundet
 Luce, uocans animum dias in luminis auras. 2300

Ionas

Vix ore fari mentis arcana queam
 Gaudia: beatum reddit Hebraeum Deus
 Vatem. Quietio membra componam mea
 Somno in sepulchro. **Zac.** Respice o uates Ninon,
 Laetare populi commodis, cui dextera 2305
 Domini pepercit. **Ion.** Laetor, et sane nimis
 Iam mente laetor. **Zac.** Paenitentiam uiden'?

Scena tertia**Ionas propheta. Poenitentia. Cassiel Angelus****Ionas**

Video salutis unica humanae anchora
 Comitare Ionam. **Paen.** Misericordiam Nino
 Postquam impetrauero tua per uestigia 2310 /46r/
 Te consequar. **Cass.** Mortalium meritis fores
 Pandens Olympi uirgo, Niniuitas Deo
 Concilia. In urbe te colet Ionas sua

Poenitentia

Ego post carina fluctibus mersa sali
 Tabula supersum unica salutis naufrago. 2315
 Quicumque me nanciscitur, scelerum licet
 Pene obruatur gurgite ad portum uenit.
 Inuoluit unda caeteros stygii lacus.
 Complexa Niniue brachiis plangentibus
 Me nuper, astra complet, et terras sono 2320
 En luctuoso. Corpora affligunt senes
 Ieiuniis. Rex a cibo omni temperat.
 Denique profanis cantibus quondam Ninos
 Factisque turpibus laccessens sidera
 Puro replet nunc astra singultu poli, 2325
 In me impetrandae spem salutis collocans.
 Fraudare nolo spe Nini populum optima
 In me locata. Misericordiam uolo
 Huc trahere, steriles unde terras affluens
 Clementia imbre fertili, semper rigat. 2330
 En pompa regem sequitur attonitum metu.
 Vim poenitendi uultus, et color indicant.

Scena quarta

Ophratanes rex. Colax, praefectus urbis. Zames, tribunus. Polites, Miaenus, ciues.

Rex

Adeste, tecti puluere, et sacco patres
 Adeste. Miserae cernitis Niniues statum?
 Longa petentes frustra compulsos fame 2335 /46v/
 Pueros uidere Cereris exiguae, et graues
 Audire questus permolestum est. Enecant
 Me per plateas tabidae ieiuniis
 Facies uirorum, et foeminarum. Dicite
 Nunc rebus aliquid, si subit mentem, utile 2340
 Lapsis futurum, dicite o proceres, Deum
 Placare quanuis morte proposita iuuat.

Colax

Regis imitari studia nos omnes decet
 Cum Rege placitum est uiuere, et placidum mori.

Rex

Haerent timores pectori. Sententiam 2345
 Zame explica tuam. **Zam.** Video dubiam uiam.
 Tenet animum anceps ratio consilii meum
 Frangant furentes pocula, et lances domus.

Rex

Frustra mederi pharmacis uulgaribus
 Nostris paras uulneribus. Excrucior nimis 2350
 Eoque fletus est acerbior meus
 Quod culpa sceleris ciuium in regem cadit.
 Feci nocentes, poenitentes reddere
 Aequum est clientes, ferre uel poenam omnium.

Miaenus

Succurrit animo cogitanti nunc modus 2355
 Nouus expiandi. **Rex** dicito. **Miae.** Passim Magi
 Aegyptiique flamines, natos pyrae
 Mactare superis igne supposito solent.

Rex

A scelere ut absit dextera. Tellus, cauis
 Me conde latebris; hisce patulos in specus 2360
 Antroque uasto me uora, dum non nocens
 Occumbere queam quolibet me occulta loco.
 Nunc dissidentes quando uos sententiae
 Vocesque distrahunt, precari numina
 Opus est. Sequantur praeloquentem me aulici. 2365
 Forsan litandi placat hic Deum modus.

Oratio regis Niniues

Sancte parens miseris placidam da uocibus aurem
 Clamantemque audi miserando murmure plebem.
 O quae uastatas reparas Clementia terras /47r/
 Ad Niniuen conuerte oculos; iamque ore benigno 2370
 Aspice tot populos, tot regna, tot addita nostro
 Oppida, tot iuuenes, tot matrum pignora sceptro.
 Ah nostri miserere Deus, miserere laboris.

Repetite luctus inclyti patres meos.

Colax

Lugentis miserere Deus, miserere senatus. 2375

Rex

Repetite fletus uos quoque o ciues meos.

Polites

Iam populi miserere Deus, miserere dolentis.

Scena quinta

Paenitentia. Ophratanes rex. Miaenus.

Poenitentia

Columnen ruentis urbis en adsum. Dei

Iam Misericordiam impetram ciuibus.

Rex

Veneremur omnes poenitentiam, graue 2380

Sic expiare quae Nini ualuit nefas.

Paenitentia

Extende macie squalidam, Rex, dexteram.

Minus altus imis saeuat uenis dolor.

Rex

O paenitentia unicum regis decus

Regnique, superest aliquid aethereo patri 2385

Quo uindicanti scelera faciam adhuc satis?

Paenitentia

Superest. Ab alta turre disturba tui

Statuam Baalis, quam locarunt moenia

Interque celsas Tartari pinnas doli.

Tundite Baalem turre deiectum e sua 2390

Agite, ruentem tundite. en Baal cadat

Ite ite celeres. Misericordiam ego interim

Palam datura, cedo paulisper loco.

Rex

Pueri uocentur, ludus ut pueris siet

Belus proteruis. Lapidis effigies nihil 2395

Habet illa sensus; et tamen sensus rudes

Praestringit ore lucido. **Miae.** En aulae procul

Iam ludibundi concitant pueri gradum.

Polites

Auferte pueri. Paenitentia en manu

Trahit huc benigni Misericordiam Dei. 2400

/47v/

Scena sexta

Paenitentia. Miaenus. Rex. Cacodaemone. Chorus

Rex Niniues qui cuncta regis, qua cingitur unda

Phoenicum diues sarrano murice tellus,

Tolle oculos, iam tolle tuos, absterge fluentes

Vt gelido de fonte genis humentibus undas

En ego diuinae penetrans sacraria mentis Hanc superis Nympham gratam, et mortalibus aegris Per quam iunguntur facili discordia uinco Pectora, et humanae ueniunt in foedera dextrae Huc fero. Tu, Rex, illius da uocibus aures. Rex	2405	
Supplex adoro Misericordiam Dei. Audite Proceres numinis Clementiam; Audite quicquid ore manarit sacro. Misericordia	2410	
Plorantem inuiso Niniuē Clementia caelo Lapsa. Caput nitidis pax aduolat aurea pennis. Iam tabescentes animus formidine uultus Exhilarant, capiantque humiles noua gaudia mentes. Paenitentia	2415	
Vt pateat facilis uirtuti ingressus in urbem Tartareo eiiciam graue olentis sulphure pestes. Hinc furiae in Barathrum tellure recedite rupta Constrictis pedibus manibusque in terga reuinctis. Cacodaemon	2420	
Heu, heu, heu, heu, heu, heu, iactamur ab urbe Rex		
Haec monstra Niniue tandiu infelix tulit? Quid ago! beuit me Deus. Cantu diem Laetisque choreis hunc patres, nati, senes Pueri, clientes et Magistratus colant. Misericordia	2425	
Excipe uirtutes quas expulit Orcus ab urbe. Excipe. Pacificis uenient in moenia dextris. Rex		/48r/
Excipio socias cernuus ueneror tuas. Misericordia		
Exue Rex saccum, sordentes exue uestes. Rex		
Huc huc clientes. Miae. Ibo festinus domum. Sed ecce pueri Regis ornatum ferunt. Rex	2430	
Exuite famuli Lingonum cultum asperum. Misericordia		
Induite o sociae, uirtutum insignibus artus Regis, ut illustret radiet decoratus amictu Prudentia		
Lucentem statuo regali in fronte coronam Firmet ut instabiles regni sapientia uires. Iustitia	2435	
Hoc sceptrum moneat populis te legibus aequis Parcere subiectis, et debellare superbos. Fortitudo		
In scelus hunc gladium et populos Rex stringe furentes. Tende manum innocuis ferroque excinde nocentes. Temperantia	2440	

Hunc tibi do cultum zonamque, ut fulgor amictus
 Purpureus castae patiatur uincula mentis.

Rex

Hic hic modestos cultus hic reges decet.
 Plaudamus omnes manibus, aurato sonet
 Pulsata plectro cithara. Grates numini
 Agant canoris, mista nablis tympana.

2445

Misericordia

Veniunt periti musices artis. **Rex** canant.

Paenitentia

Eia Deum laeto super aethera tollite cantu.

Gratiarum actio**Glyconii****Rex**

O dux luminis aurei
 Sol, qui certa recursibus
 Orbi tempora diuidis
 En flagrante nepotibus
 Luce ostendis amabilem
 Beli lampada posteris

2450

Chorus

Iam iam discite principes
 Iam iam discite nobiles
 Verus uerus in orbibus
 Regnat stelliferis Deus.
 Frenis ille superbiam
 Frenis luxuriam domat
 Pressas ille doloribus
 Mentis auxilio leuat
 Blando munere gaudii
 Luctus diluit asperos.

2455

/48v/

Rex

Vos uos turba clientium
 Terram spargite liliis;
 Frontem puluere sordidam
 Iam iam cingite floribus.

2465

Chorus

Post ieiunia tabidum
 Pectus gaudia mulceant

2470

Scena septima**Angelus custos Niniues. Cassiel. Zaciel**

Si sciret mortale genus quam laeta per altum
 Aethera concelebrent¹⁹ purae et sine corpore mentes

¹⁹ *correx* ex conscelebrent

Gaudia, Tartareae quoties in Marte cohortes
Victae sternuntur uires impensius omnes
Exerent, telumque inimica in castra rotarent. 2475

O Niniue quali perfundis pectora uictrix
Laetitia! Aethereo grates agis ipsa parenti
Non oblita Dei, aut sceleris pietate remissi.
Munere qui accepto grati sunt, munere digni
Sunt maiore poli uos, o sacra templa colentes, 2480
Aligeri fratres stellata in ueste per auras
Huc properate, Deum numeris laudate benignum.

Cassiel

Adsumus ingenti signantes nubila gyro
Acciti. Si fata nouae tibi prospera causam
Laetitia peperere; tuam si paenitet actae 2485
Iam Niniuen uitae mulcebimus aera cantu. /49r/

Angelus

Nunc igitur numeris celebremus gaudia laetis.
Materia est laudis Niniue. Si carmina coelo
O fratres niueis modulamur consona plectris
Cum reuocat culpae damnato a tramite gressus 2490
Qui scelus admisit: quali nunc carmine, quali
Conuersae Niniues antiquo a crimine plectro
Cum lacrymis gemitus celebrare est aequius? **Zac.** Eia
Pennigeræ mentes in carmina flectite uoces.
Laetitia exultant homines, exultet Olympus. 2495

Chorus Angelorum***Saphici uersus*****Omnes**

O uiris gratam superisque lucem,
O diem laetis celebrem triumphis
Qua Deus dextra propior benigna
Diluit tabes animi dolentis.
Vnus est toto seges ampla caelo 2500
Gaudii luctu uir iniqua mentis
Facta qui pensat: seges est acerbe
Incolis idem stygiis dolendi.

Vnus

Si super mentis lacrymas Olympus
Vnius festas celebrat choreas 2505
Quid polo natae capient sereno
Gaudii mentes Niniuen uidentes
Pristinum fletu scelus expiantem?

Omnes

Vrbis o laudes lyra paenitentis
Docta concentu modulari uocis, 2510
Victus est princeps stygiae paludis,
Victus est fletu furiosus hostis.
Dissipant structae cuneos phalangis

Impetu ad terram pluuiæ cadentes.
Subdolum infernae fugat agmen orae
Maeror ubertim lacrymis inundans
Ora profusis.

2515

/49v/

Finis.